

I.c. N<sup>o</sup> 119.

COE L I I  
SECUNDI CVRIONIS  
DE AMPLITVDINE

BEATI REGNI DEI,  
DIALOGI SIVE  
LIERI DVO.

AD SIGISMVNDVM  
AVGVSTVM POLO.  
NIAE RÉGEM POTENTIA  
simum, & clementissimum.

.1. Thess. 5.

Spiritum ne extinguire: Prophetias  
ne contemnere.



A 2202

46601



R450.

SIGISMVNDO II. AV-  
GVSTO, POLONIAE RE-  
GI POTENTISSIMO, AC SERE-  
nissimo, magno Duci Lituaniae, Russiae, Vala-  
chiæ, Prusiaæ, Masouiae, Samogithiae, Pomeran-  
ie, aliarumq; prouinciarum Principi,  
hæredi, & Domino Clementissimo,  
Cœlius Secundus Curio S. D.  
PER CHRISTVM  
IESVM.



E amplitudine be-  
ati regni Dei scrip-  
turus quæ potius  
inuocem d REX  
SIGISMVN-  
DE AVGVSTE, quam te,  
cuius amplitudo & Maiestas tā-  
ta est, vt te vnū Europei, Asia-  
ticisq; Reges, Tiranni, Dynastæ,  
Duces, gentes, populiq; suspi-  
ciat,



## EPISTOLA.

ciant. Te Deus ille pater homi-  
num, & Rex regum CHRI-  
STVS, Regem, DuceM, & pa-  
storem, magnis, amplis, & po-  
tentibus populis dedit ut eos re-  
geres, duceres, pasceres: atq; vt  
in tuo regno & principatu ima-  
go quædam sui beati regni san-  
cteç Reip. eluceret. Id verò af-  
sequeris cum multis alijs precla-  
ris virtutibus, & bonis, tū ma-  
ximè iustitia & religione: qua-  
rum altera fortunas, corpora,  
& dignitatem ciuium & popu-  
lorum conseruas & contines:  
altera ad verā salutem, veramq;  
felicitatem omnes conuocas &  
adducis. Iustitia in rebus huma-  
nis nō modò vt Lucifer, verum  
etiam

*ffina*

## EPISTOLA.

etiam ut luna lucet & splendet:  
Religio solis instar rerum cœle  
stium amore inflamat, & ex  
mortalibus imortales facit. Illa  
inter homines æqua distribuit,  
hæc Deo Opt. Max. suum cul  
tum, honorē, venerationemque  
tribuit. Illa inter se mortales col  
ligat & nectit, hæc eosdem cum  
Deo imortali indissolubili vin  
culo coniungit. Hæc duæ cum  
in te sint, conerisque ad earum lu  
cem tuos adducere normamque  
dirigere, & gubernare, merito  
te omnes florem Europerum, firma  
mentū imperij nostri, ornamen  
tum regiæ maiestatis, existimāt:  
merito quoque nos tibi ò REX  
hosce nostros de amplitudine  
a iñ Re-

## EPISTOLA.

Regni Dei dialogos nuncupamus & consecramus. Multa de te pro ea quæ nobis est cum hominibus tuis familiaritas & literarum usus, audiuiimus, nonnulla legimus ipsi de maioribus tuis, quos non minus religionem, quæ tunc erat, quam ciuilem ad ministracionem, procurasse acceptimus. Ac ne omnes enumere rem qui ante acceptam CHRISTI fidem, in Lituania imperarūt, incipiam a IAGELO Magno Lituanorum Duce ab aucto tuo, qui accepta vxore HEDVIGI Hungariæ & Poloniæ Regis unica filia Regnorum hærede, cum vniuersa Lituania se ad hoc beatum CHRISTI domini

## EPISTOLA.

ni regnū fidemq; contulit: estq;  
**VLADISLAVS** nominatus.  
Hic scholam Cracoviēsem pri-  
mus magnis sumptibus consti-  
tuit: Theologie interpres vel  
in uito Urbano sexto Pontifice  
Romano decreuit: ministros p  
totū Regnum suum quām ma-  
xima pietate, minima verò su-  
perstitione tunc potuit, ecclesi-  
is christianis prefecit: Ecclesias  
ipsas certis eisq; amplissimis  
muneribus & possessionib; or-  
nauit: vt omittam maxima que  
cōtra CHRISTI Religionis ho-  
stes pro Reip. sue defensione et  
securitate bella gessit. Nec dissi-  
mili studio tuendæ religionis,  
**VLADISLAVS** eius filius  
a iiii Hun

## EPISTOLA.

Hungariæ ac Poloniæ Rex fuit,  
qui apud Varnam Lacum in  
Turcas fortissimè dimicans oc-  
cubuit. Idē ardor Cazimirum,  
*Cazimir*  
*Rex 3:*  
tenuit autem tuum: Idem IOAN-  
NEM Albertū, & ALEXAN-  
DRVM Poloniæ: nec non  
VLADISLAVM alterū pa-  
truos, idēq; LVDOVICVM  
patrualem, omnes Hungariæ  
& Boiemie Reges: quoru; LV-  
DOVICVS ad Moluzam ab-  
ijsdem Turcis in acie cæsus est.  
Prætereo Fridericum vnum in-  
ter primos Ecclesiæ antistites:  
atq; alterum Cazimirum patris  
tui fratres, quorum hic sanctita-  
tis suę signa etiam post mortem  
edidit. Quid SIGISMVN-  
dum

## EPISTOLA:

DVM patrem tuū, quantum  
fuisse dicemus? Qui eam laudē  
iustis bellis pacēq; consecutus  
est, vt PATER PATRIÆ op-  
timo iure à suis diceretur: ab ex-  
teris autē illud quod de Saulo  
quōdam ferebatur, de ipso (me-  
liore tamen omīne) usurpatum  
legimus: Par ei nemo vñq; fuit.  
Ab his tu Rex tot & tantis ma-  
ioribus ortus, nequaq; degene-  
ras: Sed omnium cumulas lau-  
dem, vt nō sine diuina quadam  
præsensione te sapiens pater tu  
us Augustum, cum te CHRI-  
STO iniciaret appellasse videa-  
tur. Sunt enim sacrosancti Re-  
ges, verēq; sacerdotes non mo-  
dō Ægyptiorum more, apud  
a v quos

## EPISTOLA.

quos Regem sine sacerdotio imperare nefas erat, verum etiam vetustissime gentis Ebreorum, ut de Melchisedeco legimus, quem eundem & Regem Salmorum, & Dei summi sacerdotem fuisse sacra testatur historia, eumque tum iustitiae, tum pacis regem interpretantur: quin etiam reliquos Ebreorum reges sacerdotes fuisse illa demonstrant, quod ut reliqui sacerdotes et in Regum ad 7 saeculum gerentur, et sacrificia facerent, hostiasque macerarent, quae sacerdotum fuisse non ignoramus. Nunc autem iustiori de causa Sacri Augusticque sunt, qui Regis Regum CHRISTI vices & imaginem gerant in terris, dum elec

## EPISTOLA.

electi colliguntur, atq; ad vnam  
fidem, vnamq; religionem om-  
nes conuocatur, vt & ipsi in illa  
quæ expectatur ciuitatis Reiq;  
pub. christianæ absolutione, re-  
gni ac sacerdotij honore dignē-  
tur. Hæc autem eò pertinent  
Rex, vt intelligant omnes Regi  
am Maiestatē augustiorem es-  
se, quām pleriq; existiment. Est  
enim regiæ potestatis & mune-  
ris, non solum vt ciuili iustitia  
ciues & populi contineantur,  
verū etiam vt sacrosancti Euan-  
gelij CHRISTI doctrina erudi-  
antur, procurare. Non hoc di-  
co, vi homines ad Religionem  
esse cogendos, sed copiam since-  
ræ CHRISTI doctrinæ omni-

a vi bus

## EPISTOLA.

bus faciendam: concionatoriis  
bus liberam facultatem preben-  
dam docendi, ac de religione cum  
aduersariis omni adhibita mo-  
deratione disceptandi, ut non in-  
uiti, sed volentes, edoctique & per-  
suasi, ad CHRISTVM acce-  
dant, inuiti (modo quieti sint)  
relinquantur. Inutilis est enim  
Deo (ut Lactantius ait) qui de-  
uotione & fide caret, quae nulla  
in coactis atque inuitis esse po-  
test. Publicas tamen supersticio-  
nes tollere, falsos ritus abolere,  
humana decreta abrogare, of-  
fessiones amoliri, christiana mo-  
deratione optimè potes. Hoc  
fecit David, hoc Asa, hoc Eze-  
chias, hoc Iosias, Israelitarum Re-

ges,

## EPISTOLA.

ges, Hoc Constantini duo, Quintus & Sextus, hoc Leo Tertius, Nicephorus, Philippicus, Scaturatus, Michael Ceuropalates, Leo Armeniacus, Michael Traulus, Theophilus alijqz nonnulli Imperatores factitarunt: quorum exempla si fueris in abneganda superstitione instaurandaqz vera religione secutus, CHRISTO Dei filio Regiqz sempiterno, cuius nutu & beneficio regnas, te in eius aduentu probare poteris. Est enim boni, sapientisqz Regis munus (quod Plato in Politico suo scribit) semper ita ad suorum salutem respiceret, ut ad eorum qui vehuntur nauisqz salutem respicit gubernatrix.

a vij na-

## EPISTOLA.

nator: vt eos tueri valeat, melioresq; ex deterioribus , quoad eius fieri potest , efficiat . Necq; enim ista sapientia, istaq; potentia Regem docet alia consilia audire, alienę autoritati quęcunq; illa sit, aut potestati parere, quā IESV CHRISTI, per quem vnum Reges regnant, & príncipes iusta cōstituunt, vt Rex Salomon dicebat. Iā vides CHRISTVM aduentare, Regnum eius indies augeri , Omnes ad hoc contendere, si modò p̄ vos Reges & gubernatores, permit tatur. Scio bonam tuæ Reipu blicæ, quæ Equestri nobilitate constat, partem, hoc expetere, hoc ipsum poscere & flagitare.

vt

## EPISTOLA.

vt tandem humanorum decre-  
torum vinculis Euangeliū ,  
imò CHRISTVS ipse exima-  
tur, atq; suæ quam nobis pepe-  
rit libertati, restituatur . Respi-  
ce igitur ò REX Auguste mu-  
nus tibi assignatum à Deo: res-  
pice preces tuorum ,audi gemi-  
tus piorum, consilijs bonorum  
qui circa te non desunt, acquies-  
ce. Quamquam quis sapientius  
tibi suadere possit te ipso: nun-  
quā labēre si te audies, si omnia  
gubernes & moderere ista tua  
pietate, ista sapientia: néc te au-  
ferent quorundam non ad Dei  
gloriam , néc ad tuā tuorumq;  
salutem, sed ad suas cupiditates  
ambitionem , opes , excogitata  
con-

## EPISTOLA.

consilia. Explica istam tuā præclarām sapientiam, profer pietātem, diuīnē glorię studiū ostende. In quæ tēpora diuīnia prouidentia incideris, non dubito quin cogites. Hic tu AVGVSTE Rex, aperias oportet, nō patriæ modò tuę amplissimisq; quibus imperas, gentibus, verūmetiam vicinis tuis, ostēdas inquam oportet lumen animi, ingenij, consiliijq; tui. Rex in Rep. id est, quod primū in cœlo mobile, à quo reliqui orbes incitātur. In quancunq; partem inclinauerit Rex, eū cæteri omnes consequentur. Nam vide re licet si quis temporum replicare memoriam velit : quales-

cun-

## EPISTOLA.

cunqz summi in Rep. viri fuerit,  
tales fuisse Reip. partes quecun  
que mutatio morum in princi-  
pibus extiterit, eande in popu-  
lo secutam. Quamobrem, non  
tantum mali est peccare princi-  
pes ( quamquam est hoc magnu-  
m se ipsum malum ) quaturum illud  
quod permulti imitatores prin-  
cipum existunt. Sed ego tibi Rex  
non institui leges regnandi de-  
scribere, sed tuas potius regias  
virtutes diuinamqz natura alijs  
patefacere: teqz tua sponte inci-  
tatum, ad vere pietatis studium  
declaradum, ad collapsam Chri-  
sti Rempub. instaurandam, ad  
CHRISTI regnum amplifican-  
dum ac dilatandum ( quod per  
tuā

## EPISTOLA.

tuam singularem clementiam,  
pietatemq; fas esse puto) adhor-  
tari. Scio te qui Rex sis libenter  
de Regno audire sermones: qui  
pius & veritatis amans, nullam  
auribus tuis orationem suau-  
us sonare, quam quæ de regni  
**CHRISTI** amplitudine æter-  
nacq; veritate profertur. Hoc  
cū mihi persuasissem, ausus sum  
Maiestati tuæ hosce meos de  
amplitudine beatire regni dei Ser-  
mones consecrare. Accessit eti-  
am Magnifici atq; optimi viri  
Iohañis Luthomierski ( quem  
tu Rex ob eius raras eximiasq;  
virtutes, magnis & plurimis ho-  
noribus affecisti ) hortatio, qui  
cūm me hoc tractare ac medita-  
ri

*Vide pagina  
222*

## EPISTOLA.

ri accepisset, qua est erga tuam  
Maiestatem obseruātia & fide,  
existimauit nullum esse in terris  
Regem, cui hoc opus æque con-  
ueniret, ac tuæ Regiæ Maiesta-  
ti, cùm propter alia multa, tùm  
maximè propter singularē quā-  
dam erga CHRISTVM domi-  
num pietatem tuam, atq; eius-  
dem gloriæ desiderium, quò te  
incensum esse prædicare nō ces-  
sat. H abes igitur causas quæ me  
vthos duos nostros, quamuis  
paruos, sermones sub Augusta  
nominis tui Maiestate emitte-  
rem, atq; ad te mitterem, impu-  
lerunt: quos si legere non dedi-  
gnaberis, inuenies quæ te oblec-  
tent, atq; vt beneficiorum Dei

cō-

## EPISTOLA.

cōmemoratio solet ad amorem  
rerum diuinarum, ad quem ne-  
mo vñq̄ satis accensus est, acce-  
dant. Grādem atq̄ amplam ma-  
teriam dialogi suauitate tracta-  
uimus, vt ex altero fructus ex al-  
tero iucunditas perciperetur.  
Breuitas quoq̄ ipsa, atq̄ varie-  
tas nōnihil lectionis, si qua sit,  
facietatem leuabit. Cum vide-  
ris res magnitudine graues, vti  
litate optabiles, dignitate præ-  
stantes, iucunditate suaues, pau-  
cis, sed perspicuis, certis, & ne-  
cessarijs verbis atq̄ sentētij cō-  
tineri, & explicari, quod quidē  
idcirco dīcimus, non vt propa-  
larum more nos, nostrāue com-  
mendemus, verūm potius vt di-

ui.

## EPISTOLA.

uina beneficia & dona extolla-  
mus: atq[ue] ad ea fruenda cūctos  
inuitemus. Quod si quid nouū  
fortè videatur, atq[ue] antea auri  
b[ea]tū tuis inauditum, pro tua sapi-  
ētia cogitabis, inexhaustos esse  
rerū diuinarum Thesauros: &  
esse semper quod pia curiositas  
cum magno fructu, & Dei glo-  
ria peruestiget. Multa scripsit  
Paulus quæ Petrus non habet:  
& quædam Petrus quæ Paulus  
non reliquit, itemq[ue] cæteri. Ha-  
bent enim singulæ non modò  
ætates, verum etiam in Dei Ec-  
clesia viri sua peculiaria dona:  
alij enim datur oratio sapiētiae,  
alij scientiae, alijs fides, alijs prodi-  
giorum potestas, alijs prophe-  
tia,

## EPISTOLA.

tia, alijs spirituum distictio, alijs genera, alijs interpretatio lingua rum: atq; hæc omnia efficit vnq idemq; spiritus, dispertiens pri uatim cuiq; vt vult, quæadmodum diuinus Paulus affirmat. Omitto quod omnium est, ante pedes posita, et per uulgata sumere: recondita verò atq; in intimis doctrinæ recessibus abdi ta eruere ac proferre, paucorū. Sed de hac re nihil amplius hic dicā SIGISMVNDE Rex, quod in sequenti proemio, atq; adeò in ipsis Dialogis, satis me ijs quæ obijci nobis possent, respōdisse arbitror. Quare te hic diutius nō remorabor: tantum orabo ut hæc pauca nunc accipias,

## EPISTOLA.

pias, tamq; ab homine, qui tuā  
Maiestatem, & nomen, deinde  
gentem quoq; Polonam (hoc  
enim nomine tuos omnes com-  
plector) iam multos annos co-  
luerit, amauerit, ornauerit. Plu-  
ra de te tuoq; fœlicissimo prin-  
cipatu in illo maiore de Repu-  
blica Christiana opere, Deo be-  
nè fauente, teq; annuente po-  
tentissime Rex, persequemur.  
Te Deus Opt. Max. IESV  
CHRISTI Pater seruet, vt Re-  
gnum eius amplifices & tuis po-  
steris, imperium tuum, discipli-  
na, pietateq; auctum & pac-  
atum tradas.

Basileæ, Anno Christi Serua-  
toris, M. D. LIII.

*Sunt ē Bibliothecā.*

*Georgij Terwall*




IMPAT. VENDEA. EX. 15. 1. 3.

COELII SECUNDI CV.  
RIONIS DE AMPLI.  
TUDINE BEATI REGNI  
DEI, LIBER PRIMVS.



VM nōnulla in theo-  
logiæ arcanis nequa-  
quam satis adhuc ex-  
plicata sunt, tum per-  
difficilis & perobscu-  
ra quæstio visa est, de multitudine  
aut paucitate hædorum: quæ & ad  
consolationem animi pulcherrima  
est, & ad cognoscēdum Deum con-  
ueniētissima. Difficultatem auget  
doctissimorū hominum, tot iam se-  
culis præiudicata opinio, paucitatē  
asserētium, vt etiam sine ratione, eo-  
rum valere autoritas debere, videa-  
tur. Obscuritas verò inde existit, tū  
quòd ea res in solius Dei sinu, arca-  
niſq; recondita, atq; abdita, ab omni  
nostra cognitione remota, existime-  
tur:

A tur:



C.S.C. DE AMPLIT. REGNI

tur: tum etiā, quod ex hominū meritis, & benefactis, nihil elici posse videatur, quod ad maiore copiam Dei electorū afferendam, magnopere iuare possit. Sed quod difficilior atq[ue] obscurior est, eò erit inuēta & peruestigata iucundior. Quid est enim animis terrore peccati & poenarum, afflictis, iucundius, quam certò persuasos esse, tātam esse diuinam bonitatem, ut non paucos quosdam perfectos, atq[ue] oībus sanctitatis numeris absolutos, sed & ex reliqua hominum multitudine innumerabiles, luxatos, claudos, & infirmos: ac non mediocres modò, sed plerosq[ue] etiam infra mediocritatē positos, uelit conseruare: Et contra, quid ad desperationem aptius, quam Deum acerbissimum atq[ue] importunissimum quemdam exactorem fingere, qui præter Enocos, Elias, Esaias, Ioannes, Paulos, Macharios, aut id genus angelica sanctitate uiros, nullos in suum regnū

## DE L LIBER PRIMVS.

gnum admittat: Nam ut in corpore, non omnia membra sunt oculus, sed in eo locum etiam habent, aures, nasus, manus, pedes, aliaq; ignobiliora: sic in Regni Dei Ecclesiaq; corpore, cuius caput est CHRISTVS Dominus, uaria & diuersa sunt, alia alijs nobiliora membra. Et ut in terrestri ciuitate bene constituta, sunt summi, sunt medi, sunt infimi: sic in Dei ciuitate illa cœlesti, quæ in terris paulatim Dei clementia congregatur, & constituitur, nō modò Vates, & Apostoli, atq; eorum similes, sed etiam è media plebe pleriq;, atq; ex omni ordine, gente, natione, habere locum inuenientur. In Mosaico quidē tabernaculo: itemq; in illo celeberrimo ac religiosissimo Solomonis fano extruēdo & exornando, non modò aurum & argentum, & gemmæ, sed etiam æs, lapides, ligna, arietina uellera, pellesq; caprinæ adhibeantur: ut intelligamus in

A ij hoc

## 4 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI

hoc cœlesti tēplo, cuius illud umbra  
tantum fuit, homines humano iudi-  
cio, non tā expurgatos & cœlestes,  
etiam inueniri. Quòd si quis obij-  
*Apoc. 21.* ciat, nihil inquinatū aut impurum,

*Leuit. 19.* in illud regnum admitti: itemq; De-

*Notabilis*  
*erigend*  
um imperare, sancti simus, uelut ip-  
se sanctus est: is illud quoq; sciat, eū  
qui in cruce latronem igne sui cruci-  
atus, sacrificijq; purgauit, sanctūq;  
fecit, sic ut eodem die, secum in para-  
diso esset, eodem pacto cū reliquis,  
quos regno destinauit suo, esse fac-  
tum. Neq; enim si Deus iubet si-  
mus perfecti, idcirco nemo, nisi ea  
perfecerit, quæ iubet, conseruari po-  
terit. Iubet quod nō possumus, ut  
ex altera parte, magna atq; ampla ei-  
*Rom. 3.* us misericordia magis eluceat, obno-  
xiusq; fiat totus orbis Deo: quippe  
cum ex benefactis, aut legis conser-  
uatione, apud Deum, nemo perfec-  
tè iustus esse possit. Quamobrem  
de beati Regni Dei amplitudine dif-  
pu-

DEI. LIBER PRIMVS.

putatio nobis instituta est: non minus utilis quam si de eius misericordia, bonitate, sapientia, potentia siue (ut uno uerbo dicam) quam si de ipsius Dei natura, instituta esset. Sunt enim haec ita inter se apta & conexa, ut nisi quam latissime hoc regnum pateat, atque ita late, ut nullum pterea regnum, nulla multitudo amplior et maior inueniri possit, intelligatur: ne misericordia quidem atque una coetera, quae Dei naturam consequuntur, animo concipi vlo modo possint. Sed nescio quomo do plerique malunt, eam sententiam, quam adamauerunt, pugnaciter defendere, quam sine pertinacia, quid constanter dicatur, exquirere. Nos autem, etiam si caussam meliorem tuemur, nimirum eam, ex qua Dei gloria atque hominum salus amplificatur, (nam ultra quam haec duo integrum constant, progredi nolumus) & refellere sine pertinacia, & refelli si

A iij ne

6 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI.

ne iracūdia, parati sumus. Neq; enī  
hanc quēstionem alio animo dispu-  
tandam hoc libero scribendi genere  
sumpsumus, quā studio gloriæ Dei  
nec ut magnis Doctorib; mea uoce  
præirem, aut cuiq; necessitatē af-  
ferrem credendi: sed ut meas cogita-  
tiones eruditis & p̄js qui ubiq; sunt  
omnibus cognoscendas, Ecclesiæq;  
CHRISTI ex diuinis oraculis iudi-  
candas proponerem: atq; non uni-  
us aut alterius, verum omnium, si fi-  
eri posset audirem iudicia. Quod  
si cui forte aliquos sacrarum literarū  
locos secus quam ipse sentiat, expli-  
casse videbimus, nō statim abiūciet,  
sed cogitabit primum hanc semper  
fuisse in Ecclesia Reç; publica Chri-  
stiana libertatem, suam cuiq; senten-  
tiā, citra aliorum cōtumeliam, pro-  
ferendi. Deinde expendent an ali-  
quid afferatur, contra fidei religio-  
nisq; analogiā & normam, hoc est,  
quod non cū summis, & certissimis  
reli-

DEI LIBER PRIMVS. 7

religionis Christianæ capitibus, Regniq; CHRISTI gloria & maiestate, cōsentiat. De allegorijs verò, ac mysticis interpretationibus nihil dicam. Scimus enim omnes, quā semper liberē fuerint: modò in ea quā dixi analogia literarumq; consensio ne sacrarum consisterent. Nos certe tentare voluimus possent ne hęc, quasi paradoxa proferri in lucem, ac veterum scholarū more in vtramq; partem disputari, atq; oratione ita splendescere, ut ex mirabilib; iam probabilia populariaq; viderentur. Sed quod initio dixim; quedam esse in Theologiæ arcanis nondum sat satis explicata, id fortassis quorūdam reprehensionem nō effugiet. Affirmabunt enim quę veræ salutis sunt, omnia, non modo diuinis literis, & oraculis tradita, uerū etiam quātum satis est, cum à veteribus, tum maxime à nouis scriptoribus, explicata: vt nihil sit opus noua quædā, & quę

A iiiij hac

*Rer. eccl.*

hactenus latuerunt, in apertum lucemq; proferre. Primum nihil amplius expectandum esse, sed nobis oia per diuinos Apostolos & Evangelistas, quae Deus sciri voluit, & obseruari literis & monumentis consignata esse nullo modo ambigimus. Illud autem quid sequitur, esse nimis omnia quae diuinis literis continentur, iam satis explicata: uix mihi possum persuadere aliquem esse qui credat, Nam si omnia sunt plene declarata, cur tot in eas commentarij: tot libelli uarios ac multiplices quae stionum nodos explicantes conscribuntur: cur tot disputationes, colloquia, concertationesq; vel inter primos religionis sapientes, instituuntur? Dum enim inquirimus: Dum explicare, annotare, obseruare uolumus: dum obscuris lucem, dubijs fidem, contemptis autoritatem, afferre conamur, argumento est, nondum omnia inuenta, nondum satis explicata

cata esse. Deinde quodnam seculū  
quæ uè ætas, id ipsum dicere nō pos-  
sit, videlicet omnia abundè esse de-  
clarata: Id enim potuerunt etiam ve-  
teres dicere: atq; ita nihil fuit opus  
quemquā post illos, diuinās līterās  
tractare, aut illustrare poterūt et qui  
nos sequentur, item alij in infinitum  
succedentes, ita vt posteriores sem-  
per, sequentib; aliquid in arcanis  
līteris inquirēdi, scrutandi, explican-  
di, cōmentandi uiam præcidere vel-  
le uideantur. Nullo autem seculo  
satis explicatam esse diuinārum in-  
plerisq; līterarum sententiam, illud  
arguit, quod Paulus statuit in Eccle-  
sia semper prophetiam, id est vt oēs  
intelligunt, reconditam quandam,  
& abstrusam quorundam locorum  
enodationem, tamquam præstantis  
simum sp̄ritus sacri munus, locum  
habere. Item, quod sp̄ritum vetat  
extinguere, aut prophetiam cōtem-  
nere: sed omnia vult explorari, bo-

.1. Cor. 14.

.1. Thes. 5.

A v nū

2. Petr. 5. num uero teneri. Petrus deniq; nō  
 negat obseura quēdam in Pauli Epis-  
 tolis reperiri. Quæ cū ita sint, per-  
 spicuum est, nos, quod initio posui-  
 mus, quædam esse in mysticis Chri-  
 stianæ religionis monumētis, non-  
 dum satis explicata, nō sine ratione  
 posuisse: neq; sacros ita claudendos  
 fontes, oraç; scaturiginum oppilan-  
 da, ne cui liceat ampli, riuos ad Ede-  
 nis hortū, id est CHRISTI regnum  
 irrigandum inducere. Ac fortassis  
 erunt, qui putent, hanc quæstionem  
 à nobis non fuisse excitandā, quod  
 ea in nimiam mortales securitatē, ex  
 securitate in contemptum, ex contē-  
 ptu in dissolutum uitæ genus uocari  
 videantur: atq; hoc modo fenestrā  
 ad omne flagitiū genus aperiri. Con-  
 donādum est eis qui hoc dicūt quod  
 studio bono id dicere uideantur: sed  
 eos tamen errare, ostendendum est,  
 uerum pietatis iter ignorantēs. Nū  
 quam enim metus, bonus est magi-  
 ster

ter officij, sed amor & beneficiorum consideratio. Seruorum est, malo coactos officium facere, non libero rū à quibus plus impetrat paternus amor, quam illus metus, illaue in commoda extorquere unquam pos sint. Itaque Moses omnibus legibus descriptis, tanquam iter ostendens ad earum conseruationem, amoris & charitatis legem tulit, cum & Deum supra omnia, & homines æque ac teipsum amari iussit. CHRIS-  
 TVS quoque Dominus, nullam præterea legem tulisse legitur, nisi amoris, in quo & Mosæ leges, & Vatum omnia præcepta monitaque cōclusit. Hinc Paulus, hunc diuinitus inspiratum amorem, legis perfectionē nominauit. Ioannes item ille tantope rē amatus à Domino, cum Dei uellet nobis naturā describere, DEVS  
**AMOR EST**, inquit: ex quo effici vult, ut qui in amore maneat in Deo maneat, & uicissim Deus ī eo. Cū  
 igi.

Deut . 6.

Leuit . 19.

Matt . 22.

Rom . 13.

Galat . 5.

.i. Ioan . 4.

igitur ad amorē nos lex, Vates, Do-  
 minus, Apostoli vocent: amor autē  
 non ex metu ( in amore enim metus  
 non est, ut potē quem amor ex ani-  
 mo pellit ) sed ex alterius erga nos  
 amore oriatur: amor autem ex ma-  
 gnitudine beneficiorum cognosca-  
 tur, fit, vt verū pietatis, & oīs sancti-  
 tatis iter, in amoris diuini erga nos  
 cognitione, magnorumq; Dei be-  
 neficiorum aestimatione & conside-  
 ratione positum fit: quibus animus,  
 tum ad redamandum, tum ad obse-  
 quendum accēditur. Hanc sanctita-  
 tis uiam tenuisse Christum Domi-  
 num, literæ sacræ testantur. Hinc il-  
 lud Dauidis ad ipsum Dominum:  
**Psal. 45.** Amasti uirtutem, & uitium odisti.  
**Ebre. 5.** Nihil enī aptius, nihil efficacius ad  
 impellendos ad sanctitatē animos,  
 in eaq; retinēdos, quam amor, quam  
 illa diuinæ clementiæ & bonita-  
 tis diuturna cogitatio. Ea autem  
 non in paucis seruandis, multis ve-  
 ro

rò condemnādis cernitur: sed in eo,  
quòd cum possit omnes, paucos ta-  
men damnari vult, plures verò con-  
seruari. Cum enim quis tantā Dei  
bonitatem secum cogitat, nī si om-  
nino ex eo numero, qui flammis sūt  
æternis destinati, non potest non ex-  
citari ad vitia vitāda, quē nouit tam  
bono & amabili Patri displicere: ad  
virtutis verò, omneç pietatis studi-  
um sequendum, quæ scit ab eodem  
expeti, & postulari: Deniç non po-  
test, non assidue niti, & meditari, vt  
Sanctus, purus, innocens, & iustus  
sit, quòd Sanctum, purum, innocen-  
tem & iustum Dominum & Regē,  
& Conseruatorem suum esse intelli-  
git. Securitas verò illa, quām obij-  
ciunt, tantum abest, vt hoc iter san-  
ctum impedit, vt potius caput ad  
benē beatèç viuendū censenda sit:  
quæ in malorū metu, nulla prorsus  
esse potest. Neç enim ego securi-  
tatem intelligo; eam quæ ex qua-  
dam

dam legis diuinæ futuriçp iudicij  
 contemptione nascitur, sed vacuita  
 tem ægritudinis, atçp animi trāquil-  
 litatem ab diuinæ erga humānū ge-  
 nus bonitatis fiducia proficilente,  
 quā pacem Dominus, & Apostoli  
 appellarunt. In huiusmodi securi-  
 tate, aio vitam beatam esse positam,  
 eamçp fontem sanctitatis, atçp omni-  
 um benefactorum appello. Quid  
 enim vnquam boni, quid præclarí,  
 quid homine magno constantiçp di-  
 gnum, aut cogitabit, aut meditabit,  
 aut faciet, q de sua salute perpetuò  
 in dubio sit: qui maiori hominū par-  
 ti Deū infensum putet: qui de Re-  
 gno Dei tam angustè sentiat, vt pau-  
 cis, nescio quibus, aliquo in angulo  
 congregatis, pateat: Illud equidē  
 non est eius gloriam augere, bonita-  
 tem extollere, sapientiam admirari,  
 potentiam obstupecere: sed immi-  
 nuere, deprimere, contemnere, irri-  
 dere, Qui verò de eius Regni am-  
 pli-

plitudine, ut par est, magnifice sentiunt, idem pie, sancte, atque Dei ipsius naturae congruenter sentiunt: idemque se eius Regni ciues esse testantur. Quo de Regno beatissimo que inter me & Augustinum Maignardum Theologum non minus sanctum, quam doctum, in utruncque partem quæsita & disputata sunt, ea hisce duobus Dialogis & libris coprehendam. In priore, omnia ferè, que obijci posse ex literis sacris videtur, ea aptissimè diluuntur: in posteriore, Regni Dei amplitudo variè, copiosè, ac perspicue demonstratur. Nam cum Papistæ essemus: & ego in ea vrbe humanas liras publicè docerem, ille verò sacris concionibus, & sermonibus, tum publicè, tum priuatim omnes mortales crudiret, iunior ad seniorem sæpè ventabam, ut eius excellentis doctrinæ saluberrimos latices haurirem. Itaque in eunte vere cum ad eum paulo ante

tē solis ortum venissē, sic inter nos  
institutus est sermo.

**C**OELIVS. Saluus sis Au-  
gustine Mainarde, mihi multis  
nominibus colende. **MAINAR-**  
**DVS.** Et tu quoq; saluus fœ-  
lixq; veneris Cœli Secunde charissi-  
me. Sed quid boni tam manè por-  
tas? **COEL.** Desideriū quod  
dam, non mea quidem sentētia ma-  
lum, quod hesterno tuo in me ser-  
mone, excitatum est. **MAIN.**  
Vtinam desiderio isti tuo, meis uer-  
bis excitato, verbis quoq;, & sancto  
aliquo sermone, fieri satis queat. Nā  
ad facta me satis tardum & debilem  
esse vides. Sed tamen si facta deside-  
ras, liberè dicio: quod enim à nobis  
fieri aut planè nō potest, aut difficil-  
ter potest, id ope diuina facile fieri  
posse, cōfido. **COEL.** Nihil op-  
us est factis ad hanc rem quam opto  
quibus si opus esset; ad ea te, diuina

## DE I. LIBER PRIMVS. 17

vt ait ope, promptum & expeditum  
esse non dubito: tametsi his tibi ne-  
q̄ places vñquam, neq̄ satisfacis.  
Verum ad id quod cupio, verbis tā-  
tum opus est: quæ si de purissimo  
sacrorum fonte librorum hausta à te  
( vt solent ) fuerint, sítim, quam in  
me cōcitatisti, haud dubiè restinguēt.  
MAIN. Cur mihi quæsto, placeā?  
qui, si quid meis viribus conor, viti-  
osum sit, necesse est, vt potè à vitiosa  
natura, vt nunc est, profectum: si qd  
verò bonū aut laude dignū existit,  
id à Deo, qui solus à Magistro bo-  
nus appellatus est, manare oportet.  
Ad eum igitur benefactorum laus  
omnis referenda est, à quò, in quò,  
& per quem omne bonum. Dein-  
de, quòd verba satis esse dícis, ad sítū  
istam restinguendam, modò è sacro  
sint fonte hausta, ita prorsus est, vt  
narras, nec secus putare debes, hu-  
manis desiderijs satisfieri posse, quā  
verbis, doctrinaq̄ cœlesti, ea enim

Matt. 19.

B est

*Dominus*  
*Eccl. viii. 10.*  
*Laud*

est Ambrosia, ea Nectar, ea Nepenthes filiorum Dei, eadem lux veritatis, vita memoriae, magistra vite, animorum medicina, Christiani militis armatura. Itaque si hec mihi CHRISTI aqua fuerit, poterit sitis tuæ ardor, haud secus quam Samaritanæ sedari, ac planè restinguui. Sed iam, si videt, desiderium istud nobis expone, nam ardens esse oportet, quod tam mane te ad nos venire compulit.

*Cœl.* Somnum, ita me Deus amet, ego hac nocte oculis non uidi meis, dum id cogito. Ideo hac hora huc ueni, sciens te hoc verno tempore, cum amica aurora cubitu surgere, quod in studia tua quietius incubere queas: quae si interturbo, tibi ipsi aatribues, qui hunc mihi scrupulum iniecisti. *Main.* Studia ego mihi Cœli esse censeo, omnia officia, aut beneficia quae ab homine in hominem conferuntur, non ea solum que in libris, & secretis ponuntur locis.

Nam

Nam idcirco studijs atq; disciplinis  
operam damus, ut omni ratione &  
via, consolando, consilio, re, alios iu-  
uare possimus, non vt in his totam  
ætatem conteramus. COEL. He-  
ri dum verba faceres de imensa Dei  
bonitate et misericordia, qua sola be-  
nignus Pater, quos voluit ante or-  
bem conditum elegit: atq; interce-  
dente CHRISTI spiritu, & sangu-  
ine, sancta q; huiusc sanguinis asper-  
sione, ad beatam immortalitatem con-  
secravit: dum, inquam, hoc ipsum  
tractares argumentum, illud adde-  
bas: Regnū Dei Patris, & CHRI-  
STI filij eius, quod misericordia cō-  
stitutum ac fundatum est, latius pa-  
tēre, quam pleriq; hactenus putau-  
runt. Evidem multum cogitavi,  
quorū tu istis verbis spectares.  
Et quāvis multa occurserent, mihi  
tamē nihil admodum satisfaciebat.  
MAIN. Dic obsecro quid venie-  
bat in mentem; COEL. Primū

B ñ Ori

1: Origenis opinio, qua aiunt illum  
 non homines modo, sed etiam De-  
 monas malos esse beatos, affirms.  
 2: se. Deinde quod nonnulli credunt,  
 & si no omnes homines, eos saltem  
 qui CHRISTO aqua iniciati esset,  
 quiq; pane mystico vescerentur, in  
 vitam eternamabituros, Postremo  
 illud quoq; cogitabam, num forte  
 ex eo pronunciato velles innuere:  
Beatorum numerum minorem non  
esse numero damnatorum, sed poti-  
us maiorem. MAIN. Horum,  
 quid tibi magis arridebat? COEL.  
 Postremum, ni sacri libri securi doce-  
 rent, probabilius certe videretur.  
 Verum a te, qui nihil inconsulte so-  
 les dicere, tui dicti rationem expec-  
 to: Et an quicquam horum, quae a  
 nobis proposita sunt, fueris sequu-  
 tus. MAIN. Primū illud, quod  
 Origeni attributum ait, esse Orige-  
 nis mihi persuadere non possum, sed  
 amulorum ut pleraq; alia, cōmentū

August. de  
 Ciuit. Dei.  
 Libr. 2.  
 Cap. 19.

vt tam illustris nomen scriptoris ob-  
 scurarent. quod malum ea tempe-  
 state, latissimè patebat, nostraq; pa-  
 tet: Evidem eruditissimum virum  
 existimo Dei misericordiā magnifi-  
 cē, & copiosē extulisse, atq; exagge-  
 rasse: ac de Amplitu. beati Regni  
 Dei, magna quædam, & vulgò inso-  
 lita, protulisse. Quæ cùm ab inui-  
 dis, maliciose, ab ignaris verò per-  
 peram acciperentur, cœperunt spar-  
 gere, Origenem affirmare, non mo-  
 dò homines, verum etiam Dæmo-  
 nas, ac penè bestias ipsas aliquando  
 beundos, atq; ad immortalitatem esse  
 transferendos. Sed Origenes à Io-  
Pico Mirandulano, & docte simul  
 & copiosē defensus est. Verum seu  
 Origenes, seu quicunq; alius ita sen-  
 sit, à CHRISTO veritatis Magi-  
 stro, tum ab his, quos ille suæ doctri-  
 næ scriptores esse voluit, satis refelli-  
 tur. Altera verò sentētia, quæ aqua  
 mystica tinctos omnes, paneq; par-

B iij tici.

ticipes, beatitudine donat, omnino improbanda est, propterea quod salutem elementis mundi, & signis exterritis affingit. Nam quod Paulus de Iudeis dicit, id in christianos bellè quadrat: Non is, qui manifestò

**Rom. 2.** Iudeus sit, Iudeus est: nec ea circuncisio est, quæ manifestò in corpore est. Sed is Iudeus est, qui occultè est: & ea circuncisio est, quæ animi est, spiritu, non literis, cuius Iudæi laus nō ab hominibus est, sed à Deo. Et

**Rom. 9.** alibi: Nō enim omnes ab Israele orti sūt Israelitæ: neç quia sunt Abrahami progenies, ideo sunt filij. Sed ab Isaaco tibi denominabitur progenies: hoc est, non humanitatis filij, nō sunt Dei filij: sed promissionis filij, progenies habetur. Hæc enim proportione ita ad nos transferri debent. Non is, qui manifestò Christianus sit, Christianus est: nec ea quæ palam fit carnis, lotio est: sed qui in occultò Christianus fuerit, is  
Chri-

Christianus est: & Baptismus cor-  
dis, Baptismus est, qui spiritu con-  
stat, non externo opere, cuius laus  
non ab hominibus sed à Deo est. Et  
eodem modo reliqua. Quòd si ex-  
ternis symbolis atq; elemētis ea in-  
esset vis atq; diuinitas, ut quoscunq;  
attingerent, eos ad beatam vitam  
consignarent, iam & Hymenēus &  
Philethus & Alexāder, quorum Pa-  
ulus ad Timotheum scribens mcmi  
nit: & Ananias vnā cum vxore Sap-  
phira: atq; is, à quo isti noui Simo-  
nes Magi cùm sp̄ritus sancti dona,  
tum CHRISTVM ipsum vendere  
dīdicerūt, si modo vnq; aut CHRI-  
STVM habuerunt, aut eius sp̄ri-  
tum: & Julianus Apostata, & Ser-  
gius monachus, malus Muhamedē  
magister, & Synagogæ caput, hoc  
est ANTICHRISTVS ipse, atq;  
alij similes multi, qui quidē & aqua  
initiati, simulq; damnati sunt, beati  
omnino in cœlesti regno essent. At

2. Tim. 24.

Act. 5.

Act. 8.

B iiiij non

non externo aliquo opere ad immor-  
talitatem necessario consignamur:  
sed spiritu adoptionis & promissio-

**Ephes. 1.** nisi sancto, ut Paulus testatur. Ter-  
tium verò, quod proposuisti: Nu-  
merum scilicet electorum atq; bean-  
dorum nō tam exiguum esse, quām  
hactenus putauimus, imo potius  
sanctam Dei & CHRISTI Répu-  
blicam, cœlestem Hierosolymam,  
ciuitatem Dei, maiorem esse dam-  
nata atq; execrata Synagoga, mihi  
nequaquam absurdum videtur. Et  
reuera id est (vt ingenuè tibi fatear)  
quod eo sermone innuere volebam  
quod tamen aperte tunc non dixi,  
ne forte tuum, aut aliorum animum  
rei nouitas offenderet. Sed postea  
quām te eius rei intelligendæ cupi-  
dum, & in ipsam quæstionem inci-  
disse, non sine diuino consilio video  
iam mihi satis videris esse præpara-  
tus. Quare de hac re nihil te cela-  
bo, nisi tu aliter sentis. COEL.

Imò

Imò pedibus iam in hāc sententiam  
descendissem, nisi ( vt dicebam ) cer-  
ti scripturæ sanctæ loci diuersum vi-  
derentur affirmare. MAIN. Ni-  
hil ergo tot veterum Patrum autori-  
tas, nihil seculorum consensus, nihil  
rei nouitas magnitudoq; moueret :  
COEL. Nihil prorsus. Nam pri-  
mum non tam autoritas in disputan-  
do, quām rationis momēta quæren-  
da sunt. Deinde patres ipsi, sibi nul-  
la in re fidem haberi volunt, nisi qua-  
tenus eā solidis & claris diuinarum  
literarū locis, testibusq; confirmant:  
& hoc honoris solis ijs scripturis,  
quas canonicas appellant, haberi  
volunt ( vt in Aurelio Augustino le-  
gitur ) vt sine alio testimonio plena  
illis fides habeatur: reliquos omnes  
quantauis eruditione, sanctitateq;  
olleant, censuræ subiiciunt scriptu-  
rarum. Deinde multorum seculo-  
rum consensus, aut vetus consuetu-  
do, si ratione atq; sacrorum autorita-

*Ad Hieron.  
Epist. 19.*

B v te

te librorum careat, quid aliud quam  
 vetus error est? Nouitas autem nul-  
 la est veritatis, qua nihil antiquius,  
 ut potè quę Dei sumi sit filia. Quòd  
 si qua insit in veritate nouitas, aut  
 etiam magnitudo, ea potius me atq;  
 alios vehementer allucere, quam ab-  
 sterre debet. MAIN. Tu igitur  
 Cœli ni horum librorum obstaret  
 autoritas, capite & pedibus in hanc  
 sentētiā ires? COEL. Ita pror-  
 sus. MAIN. Evidem hoc tuum  
 iudicium non possum non probare:  
 ut potè sanctum & christiano homi-  
 ne dignum. Sed qui nā ī loci sunt,  
 quos tibi obstare putas? COEL.  
 Primus est, quòd ex aquis diluuij  
 octo tantum animæ seruatæ fuerūt.  
 Nam si factum illud salutem electo-  
 rum adumbrabat, exiguum certè nu-  
 merū electorū esse oportet. Quòd  
 & D. Petrus confirmare videtur, cū  
 de Archa, seu Naui illa loquens ait:  
 in qua paucæ, hoc est octo animæ in  
 aqua

aqua cōseruatae sunt. Consimili for  
 ma nunc quoq; Baptisma nos ser  
 uat. MAIN. Verba Petri si rec  
 tē expendātur, nobis eius facti mys  
 terium explicabunt. Primum enim  
 Diluuij aquas, Baptismū, ueteris q;  
 hominis interitum adumbrasse di  
 cit. Ergo Noa, CHRISTVM ius  
 titiae præconem: ARCA seu nauis  
 fidem Regni CHRISTI, significa  
 bat. Ac quemadmodum tunc nul  
 li ex aquis emerserunt, præter eos  
 qui Noæ fidem habentes, cum eo se  
 arcæ commiserunt: sic & nunc, nisi  
 qui auditio tamen prius Euangelio,  
 credentes, resipiscunt: seq; ad IE  
 SVM CHRISTVM Regni cœle  
 stis Ecclesiæq; suæ Nauarchum reci  
 piunt: ac fide quasi arca per medios  
 mortis Orciq; fluctus ac voragini  
 gestantur, nulli prorsus in salutis por  
 tum æternæ, perueniunt. Quòd ve  
 rò adiungit Petrus, In qua paucæ,  
 hoc est octo animæ, seruatae fuerunt

Lang; Popri  
 3: Applicatio:

Diluvijq;  
 Baptismū,  
 Noa Christi,  
 arca, fidem,  
 adumbrans

Accanadatio

haud absurdē fortassis, ad paucitatē  
 Iudeorum qui CHRISTO tum in  
 primo eius aduentu fidē habuerunt,  
 referri posset. Petrus enim uelut eti-  
 am Iacobus, aduenis, nimirū Iudeis  
 sparsim in Asiae oris peregrinanti-  
 bus scribit: eosq; consolatur, ne va-  
 rijs malis diuexati despondeant ani-  
 mum, aut paucitate credentium, ter-  
 reantur: ostenditq; CHRISTI &  
 piorum mala, & paucos Iudeorum  
 CHRISTO fidem habituros exigū  
 umq; numerum ex illo excēptionis  
 diluuiio emersurum ( Iudeorū enim  
 cladem illam miserandam, diluuij  
 nota insigniuit, ut alios omittā, Da-  
 niel Domini Vates ) antea fuisse &  
 oraculis prædictum, & figuris præ-  
 monstratum. Sed vt aquæ illius al-  
 liuionis qui arcæ se commiserant,  
 eos perdere non potuerut, sic nec vī  
 las vexationes, vllasue calamitates,  
 ac ne mortem quidem ipsam CHRI-  
 STO credentibus, quicquam nocī-  
 tu-

turas: quin potius in maiorem glo-  
riam cessuras. De qua Iudeorum  
paucitate credentium, extat quoqp  
Esaiæ vaticinium, à D. Paulo ad Ro  
manos explicatum. Nihil igitur *Rom. 9.*  
Petrus de vniuerso electorū nume  
ro dicit, nisi vt dixi, de Iudeis eius  
temporis intelligatur, ad quos etiā  
illam Epistolam, vt potè circōcisiō-  
nis Apostolus, scripsit. *COEL.*  
*Petrus de vniuerso electorū nume*  
*ro dicit, nisi vt dixi, de Iudeis eius*  
*temporis intelligatur, ad quos etiā*  
*illam Epistolam, vt potè circōcisiō-*  
*nis Apostolus, scripsit.* *Galat. 2.*  
Tu mihi Mainarde inuolutum atqp  
obscurum Petri locum explicasti, il-  
luminastiqp. Sed quid dices ad id,  
quod ex tanta Israelitarum multitu-  
dine, quā Deus eduxerat ex Aegip-  
pto, tam pauci, ( duo videlicet tan-  
tum, Caleb & Iosua ) in promis-  
sam terram introierunt? quam rem  
significasse volunt paucitatem elec-  
torum in regnum cœleste introeūti-  
um. *MAIN.* In veteris testamē-  
ti vmbbris explicandis, primū viden-  
dum est, quid Apostoli senserint.  
Paulus certe eum locum tractans in  
*Mainarde*  
*testamēti vmbbris*  
*explicandis, primū viden-*  
*dum est, quid Apostoli senserint.*  
*Paulus certe eum locum tractans in*  
*Epi*

30 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI.

**Cap. 10.** Epistola priore ad Corinthisos, Israe-

litas, qui in deserto conciderunt in  
exemplū trahit vltionis diuinę, eos-  
q; deterret à peccādo. Et epistola ad

**Ebr. 3.4.** Ebros, quo peccatorum omnium

radicem ostendat, dicit priores illos,  
quibus promissa fuerat Cananæorū  
terra, quiq; ex Aegipto profugerant  
propter ap̄st̄ian, hoc est diffidenti-  
am in terram illam ingressos nō fuis-  
se, quam & requiem appellat: prop-  
terea quod quietū & pacis plenum  
**CHRISTI** regnum & Ecclesiam in-  
dicabat, in qua securi agimus, freti  
bona erga nos voluntate Dei per IE  
**SVM CHRISTVM.** De qua re

**Esai. 32.** quie meminit Esaias dicens: Et erit  
Iustitiae opus pax, & æquitatis opus  
tranquillitas & securitas æterna, ma-  
nebitq; meus populus in mansione  
paccata, sedibusq; tutis, & stationi-  
bus quietis. Hæc sunt quæ super  
loco illo ab Apostolis afferuntur:  
vbi de paucitate electorum, ne ver-  
bum

bum quidē fieri vides. Et quidem temerarium nimis esset, rem velle aliò torquere, quam vel res ipsa declarat, vel Vates, vel Apostoli intellexerunt. COEL. Habes nē aliquid ex sacrosanctis oraculis ( nam sine his sat scio te nihil tentaturum ) quò nobis explices, quid sibi velint duo illi, & cur minores natu, maiori bus viginti annis exclusis, soli in terram Cananæā peruerenterint? MAN. Non dubium est hos duos fuisse seruatos, ut testes essent eorum, quæ tum in Aegipto, tum in deserto Deus in eius populi gratiam fecerat: tū quòd soli exploratorum fortiter sensissent de expugnatione terrę Cananæorum. Verum si rem paulò altius considerare volumus, quādoquidem quæ tunc gerebantur, etiam in tempora Messiæ spectabant, non ineptè fortè dicemus Iosuam & Calebum, paucitatem eorum adumbrasse qui in primo CHRISTI ad-

uen-

uētu conspecta Dei in CHRISTO  
maiestate, signisq; & prodigijs, ei si-  
dem habuerunt. quōd quidem ipsū  
minæ illæ diuinæ, quibus Deus in-  
sanum et ferreū illum populum de-  
testatur, præ se ferre videntur. Om-  
nes homines ( inquit ) qui maesta-  
tem viderunt meam: qui prodigia  
quæ ego in Aegipto ac solitudine  
feci, conspexerunt: qui me iam deci-  
es tentarunt, qui voci meæ non obe-  
dierunt: hi inquam omnes in me  
contumeliosi, terram non aspicient,  
quam ego iureiurando Patribus eo-  
rum promisi. Et paulò post Iosuam  
excipit & Calebū, atq; vnā eos  
qui viginti Annis minores erant.  
De qua re Deus per Esaiam, quem  
etiam locum in eam sententiam ad-

**Esa. 65.** Romanos citat Paulus ita conque-  
**Rom. 10.** rebatur: Pando meas manus totum  
diem ad contumacem populum &  
contradicentem. Item Ioannes in  
principio sui Euangelij, Ad suos ve-  
nit,

nit & sui eū non acceperunt. CO-  
EL. iam video illis duobus (duo-  
bus enim tribusue de re quapiam  
constanter testantibus, vt lex habet  
firmum est omne testimoniū ) Apo-  
stolos Domini ac discipulos , fuisse  
significatos, qui cū magnarum alia-  
rum rerū, & prodigiorum CHRIS-  
TI Domini , tum precipiue eius re-  
uiuiscentiae testes essent. Sic ete-  
nim ipse Dominus Apostolis: Eri-  
tis mihi testes vñq; ad extrema terra-  
rum. Sed iam expecto, quid de pos-  
teris eorū, qui in deserto ceciderant,  
dicturus sis , quos non dubium est  
magnum aliquid mysterium conti-  
nere . MAIN. Ego quid super  
ea re dicerem, omnino nō haberem,  
nisi arcanorum magnus ille inter-  
pres Paulus, nobis viam aperuisset.  
Is enim ad Romanos scibens, aperte  
vaticinatur : ramos propter diffiden-  
tiā defractos, rursum per fidem in-  
serendos . Quòd quid aliud est,  
C quam

quam posteros eorum, qui in solitudine interiere, in promissam terram intromittēdos esse: Non nē à CHRISTI morte in solitudinem versa Iudæa est: Non nē omnes penē, qui CHRISTVM viderāt, partim bello, partim famie, partim peste occubuerē: At posteri nepotesq; ipsorū, teste Paulo, in promissum CHRISTI regnum recipientur. Ad quod quidem confirmandum, Apostolus Vatum sanctissimorum accommodat prædictiones: quas in hunc modum gentium animos præmuniendo, patefecit: Nolo enī vos igno-

Rom. II. rare fratres hoc arcanum, ne ipsi vobis placeatis: hanc cæcitatem in partem Israelis cecidisse, quoad gētium intrarit plenitudo: actum Israel totius salutis erit. Sic enim memoriæ proditum est: veniet inquit, ex Sion liberator ille, qui à sceleribus Iacobeos vindicet, hocq; illis à me fœdus esto: videlicet, me peccata ipso-

rum

rum ablaturum. quæ verba paulò  
aliter habent Ebraicè scripta: Sed  
Paulus veterem septuaginta inter-  
pretum translationem secutus esse  
videtur, in qua magis sententiæ ap-  
penduntur, quam verba numeran-  
tur. Hæc eadem Moses hæc Iere-  
mias, hæc Ezechiel Israelitis etiam  
nunc pollicentur, nimirum Deum  
eos ex gētibus atq; ex omnibus col-  
lectos terris, pura conspersos lym-  
pha, ab omnibus fœditatibus, & vi-  
tij purgaturum: eisq; cor nouum  
& spiritū nouum daturū. COEL.  
Reliqua assentior: sed de liberatore  
illo nō satis assequor, quid, aut Esai-  
as, aut Paulus velint. MAINA.  
Dicam mi Cœli: hunc locum varie  
explicant: sed Pauli verba satis aper-  
ta sunt. Nam cum dicit, veniet, nul-  
li dubium esse potest, quin de futu-  
ro aliquo aduentu loquatur: & cùm  
dicit liberator ille, quem alium cen-  
ses, quam IESVM CHRIS-

C iñ tūm,

TVM, vnicum atq; perpetuū sospitorem, conseruatorem, liberatoremq;: præsertim cum addat, ex Sione, hoc est ex ipsa Iudæorum gente, ad quam hoc spectat vaticinum: Quòd autem vir dñiinus aliquis & magnus à Deo mittendus sit, qui religionem iam extinctā Ecclesiamq; propè collapsam excitet & instaurēt, non à Dei more alienum esse videtur. Solet enim Pater ille maximus, cum omnia desperata ferē videtur, Eliam aliquem excitare ( vt

**Malach. 4.** Malachias Vates pollicetur) prius-

**Matth. 17.** quam veniat louē dies magna ac ter-

**Luce. 1.**ribilis, qui & parentum animos libe-

**Apocal. 11.** ris, & liberorum animos parentibus reconciliet: hoc est qui ad Messiam quem patres spiritu coluerunt, posteros eorum conuocet & conuertat: quod ab Elia ipso faciendum esse,

**De Ciuitate Dei. 20.** Origenes, Theodoretus, Chrysostomus, & Augustinus putauerunt:

**Cap. 29.** quod etiam CHRISTI dicto confir-

māt

mant, vbi ait, cum venerit Eliás, is re  
stituet omnia. Quamquam Paulus  
eo loco, nullum certè alium intelli-  
gere ut ante díxi mihi videtur quām  
IESVM CHRISTVM. COEL.  
Sed nunquid non olim iam venit  
CHRISTVS. cur igitur eum dicit  
venturum? quēm verò Paulus ad-  
uentum describit? priorem nē, quo  
ad crucem nostra caussā ferendam  
venit, an posteriorem illum, quo ve-  
niet ad iudicandū? MAIN. Ve-  
re or nē quomodo te à proposito lon-  
gius adducam, atq; in desiderio isto  
diutius teneam, non quo his tractan-  
dis capere ullam molestiam possim,  
à quibus potius fructum percipere  
vberimum soleo. COEL. Meo  
desiderio iam ex parte à te factum  
satis est, quòd tuam in ea re sententi-  
am accepi. Quare, si rogando tibi  
molestus non sum, perge in eo quod  
rogaui, explicando: nec enim hoc  
minus, quām quod positum est pri-

Matt. 17.

C iij mum

mum scire aueo. MAIN. Paulus in secunda quam ad Thessalonicenses scripsit Epistola, cum describere instituisset, à quo & quibus armis ANTICHRISTVS, postea quā satis diu aduersus CHRISTUM sub CHRISTI titulo erectus & elatus fuerit, detegendus & debellandus sit: inter alia sic scribit: tum demum patefiet ille scelerosus, quem Dominus oris sui spiritu conficiet, aduentusq; sui claritate delebit. Quibus in verbis quatuor nobis explicant: & ANTICHRISTVM detegendū, & à quō sit conficiendus, & quo telo, & quartum, Dominum ipsum esse venturum, ut ipse hanc pugnam cū hoste pugnet, ipsumq; deleat, atq; in nihilum interimat. Quod quomodo fiat, accipe. Quicquid patefit, antea fuerit occultum necesse est: & quicquid arguitur & proditur lumine (ut Paulus ait) patet, & proditur, ANTICHRIS-

tus

TVS diu latuit, quasi sub ouila pelle  
 lupus: & latuisset, nisi Dominus  
 IESVS CHRIS TVS vera lux  
 aduentu suo illum patefacere cœpis-  
 set: quo etiam aduentu illum peni-  
 tus abolebit. Sed prius nobis fortius  
 ter vna cū duce & rege nostro Chri-  
 sto, aduersus hostem hunc, & qui  
 illum tuentur, pugnandum est: & est,  
 ne forte frangamur, in manu victo-  
 ria. Nam Agnus ( vt Ioannes vati-  
 cinatur ) vincet illos ut potè domi-  
 norum dominus, & rex regum: nec  
 non cum eo vocati, delecticqz, ac fidē-  
 tes. At quibus armis? an quibus  
 vulgares istæ mundi copie pugnare  
 solent? nequaqz: sed spiritu oris sui,  
 aduentusqz fulgore. COEL. In  
 telligo: nimirum gladio spiritus, qui  
 est aliud nihil, quam Dei sermo ( vt  
 Paulus docet ) siue doctrina, & ex  
 ea deprōpta argumenta, quibus resi-  
 sti nullo modo potest. Est enim di-  
 гинus sermo viuus & efficax, & quo

Apoc. 17.

Ephes. 6.

C iiii uis

40 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI.

uis ancipiū gladio acutior, ac pene-  
trans usq; ad diuisionem animæ &  
spiritus, compagumq; & medulla-  
rum. MAIN. Hoc quidem ve-  
rum esse non abnuo: nec enim alijs  
armis aduersariæ CHRISTI acies  
fundēdæ, profligandæ, debellādæq;  
sunt: verum spiritu oris à Domino  
conficiendum esse Antichristum,  
dixit Paulus ad exaggerādam CH-  
RISTI potētiam, qui solo spiritu &  
flatu hostē prosternat. Flatus enim  
*Esaï. 30.* eius ( ut præclarè Esaïas dicit ) qua-  
si torrens inundans. Quo etiam spi-  
ritu & flatu apud Zachariam, non  
*Zach. 4.* copijs & armis, Dominus dicit se  
omnia confecturum. Atq; etiam id  
solemus usurpare, cū de forti aliquo  
dicimus: vel vnico flatu hic aduer-  
sarium deiçiet, ac prosternet. Qui  
locus sumptus est ab Esaïæ oraculo,  
*Esaï. 11.* ubi sic de CHRISTO dicit: Terrā  
percutiet virga oris sui, & spiritu la-  
biorum suorum, interficiet impium.

Ad

Ad eandem CHRISTI potentiam  
 & maiestatem augendam, etiam il-  
 lud pertinet: & abolebit fulgore ad  
 uentis sui: quasi CHRISTI maiesta-  
 tem presentiaeque fulgorem ferre non  
 possit aduersarius, quin statim abo-  
 leatur & euaneat. Ignis enim con-  
 sumens Deus est: cuius ignis splen-  
 dor & fulgor est CH Ristus, ad cui-  
 us solum conspectum illico cadunt,  
 & tanquam nox & caligo ad solis aduen-  
 tum aduersarij dissipantur. Quod  
 minus mirandum videbitur, si ve-  
 terem. C. Marij Romani hominis  
 memoriam repetamus: ad quem cum  
 hostis occidendum accessisset, stric-  
 tum gladium tenens, adgredi non  
 sustinuit: sed claritate viri occeca-  
 tus, abiecto ferro, attonitus, inde ac  
 tremitus fugit. tantus scilicet fuit ma-  
 iestatis eius fulgor, ut oculos homi-  
 nis perstringeret, animumque comi-  
 nueret. Nolo enim hic de Mose Is-  
 raelitarum duce aliquid referre, cu-

Deut. 4.

Val. Max.  
lib. 2. cap. 1.

C v ius

ius splēdorem, qui in vultu eius elu-  
cebat, ferre Israelitæ non potuerunt.  
**Quòd si** Dei populus Mōsæ splen-  
dorem ferre non potuit, quomodo  
**CHRISTI IESV** ferrent aduersa-  
rī maiestatem? præsertim cum Di-  
scipuli eius & amici, Petrus & alijs,  
visa **CHRISTI** maiestate & gloria  
in mōte, vix animam in corpore cō-  
tinuerint. Iam si **ANTICHRISTI**  
tyrannis ante postremum **CHRL-**  
**STI** aduentum, spiritu oris **CHRL-**  
**STI**, eiusqe aduentus claritate abo-  
lenda est ( id quod Vates Ioānes te-  
Apoc. 17. statur, cum dicit, Reges decem diui-  
ni numinis impulsu, bestiam illam,  
eiusqe dominatum attrituros, nuda-  
turos, carnes eius comeduros, eāqe  
igni exusturos ) vt Euangeliū to-  
to terrarū orbe, rursum sublatis im-  
pedimentis, prædicetur, aliis qui-  
dam aduentus præter primum, pre-  
rerqe ultimum quærendus erit. Et  
**bic est aduentus illæ diuinæ claritatis**  
&

& lucis, quo CHRISTVS cœpit  
mūdo verbum suum, doctrinam su-  
am, Euāgelium suum restituere: spi-  
ritu suo multorum animos mētes q̄  
illustrare, & cœlesti virtute firmare.  
Homo enim iste nobilis & clarus  
vt est apud Lucam ) in regionē lon-  
ginquam profectus fuerat, quo au-  
dito, ciues eius ab eo defecerūt. Ve-  
rum reuersus, qui ex ciuib⁹ & sub-  
iectis, hostes facti fuerāt, eos corām  
se protrahī, trucidariq̄ iussit. An  
ignoram⁹ quātis in tenebris, quan-  
taq̄ cæcitate & ignorantia versatus  
sit mundus, ab Apostolorum fer-  
ētate, vsq̄ ad hæc tempora: in qui-  
bus Dominus præter omnium ex-  
pectationem, se ipse cœpit aperire.  
Nam statim cōfecto Apostolorum  
curriculo, obitaq̄ sancta illa legatio-  
ne, lupi rapaces, in CHRISTI gre-  
gem ( q̄ & Paulus ipse prædixerat )  
Sathanā iam tunc mysterium sceles-  
tum moliente, subierunt. Sicq̄ pau-  
lati

Lucas. 19.

Act. 20.

**I**atim verus CHRISTVS ex orbe  
sublatus fuit: ac in eius locum sup-  
positus ANTICHRISTVS i loco  
sancto in Dei templo, hoc est in Ec-  
clesia sancta atq; diuina, quæ Dei ve-  
rum templum est, quod fidei series,

**J. Pet. 2.** non lapidum structura fundauit: in  
quo templo sedit, ac se supra Deum  
extollit, proq; diuino numine se ven-  
ditat, ostentat, & ostentabit, cū om-

**2. Thes. 2.** ni, pdigiorum, portentorū, miracu-  
lorumq; genere, omniq; nequissima  
fallacia & fraude, quibus ij, qui ama-  
bilem veritatem accipere noluerūt,  
capunitur perituri. Quorū enim au-  
res clusæ veritati sunt, vt verum au-  
dire nequeant, eos mendacijs capi-  
necesse est. Et cum veritatem audi-  
entibus, vita proposita sit: eorum q  
mendacijs delectantur, salus est om-  
nino desperanda. COEL.

**loc. 5.1.1.** Si recte sermonis tui cursum accipio, il-  
lud vis innuere: Principem illum,  
verum esse CHRISTVM IE-

sum

SVM, qui tūc ab ijsse dicatur, cum  
Euangeliū desijt prædicari: ciuesq;  
eius defecisse ab eo, cum decreta &  
leges de Ecclesiæ Romanæ & Papæ  
principatu tulerūt: cum relicta eius  
Cena sacra sancta, Missam subroga-  
runt: cum Diuorum cultum simula-  
cra & præces, statuerunt: cum Pur-  
gatorium ignē accenderunt: & pro  
mortuis sacra, præces, ceremoniasq;  
decreuerunt: cum doctrinam fidei  
iustificantis obscurarūt, ne dicam su-  
stulerunt, & Spiritus sancti dona ad  
quæstum turpisimū conuerterunt.  
Atq; vt ex Euangeliū absentia CH-  
RISTI absentiam deprehendere  
licet ( illic enim præsens est CHRI-  
STVS, vbi eius vox est, vbi eius au-  
diuntur oracula) sic illum redisse E-  
uangelio restituto, confirmare con-  
tendis. MAIN. Hoc nimirum  
ipsum volo: atq; ea omnia quæ tu  
breuiter collegisti, vera esse confite-  
or. Sed vt de hoc altero, medioq;  
ad-

aduentu explicare pergam: de eo ipso CHRISTVS loquebatur, cū, Luca Euangelista testante, proposita iudicis iniqui & viduæ similitudine, dicebat: Filius hominis cum veniet, fidē, scilicet, in terris inuenietur.

**Luce. 18.** Quod de extremo intelligi non potest, in quo prædicato per totum terrarum orbē Euangeliō, infinita erit credentium multitudo. Hūc quoq[ue] ipsum aduētum idē Magister describebat, cum diebus Noë dies filij hominis comparabat: quem etiam ob id patefactionis seu illustrationis filij hominis aduentum appellabat. Ac ne te diu moreris, hunc aduētum intelligebat (si mysterium spectes) cum denunciata Iudeis clade illorum, illa consolatione animos bonorum, qui inter eos erant, futuriu[m] fuerant, erigeret: Sic habetote, vos non esse me visuros deinceps, donec dicatis: Bene sit venienti in nomine Domini, Cum igitur tanta sit in orbem ter-

ter.

terrarum cæcitas inuecta, tantæq; te  
nebræ falsarum religionum & do-  
ctrinarum: primum quidem in Ec-  
clesiam CHRISTI, per Papæ de-  
creta scolasticamq; doctrinam, & ea  
quæ tu commemorasti: Deinde, in  
Iudæorum populum per Talmudi-  
cas fabulas: Postremo in reliquas na-  
tiones, & gentes p Alfurcanum, si-  
ue Alchoranum Muhamedisq; mē-  
dacia: in tāta cūm omnium aliarum  
rerum, tum discipline veteris pertur-  
batione, necesse omnino est cœlestē  
doctorem & Regem suo clarissimo  
aduētu, sanctissimaq; doctrina, om-  
nia sedare, animosq; fluctuantes trā-  
quillare: vt & docti ad veram sapiē-  
tiam dirigantur, & indocti ad verā  
religionem. COEL. Mira qui-  
dem sunt, quæ narras, quibus mihi  
oculos mirificè aperuisti, adeo ut te  
de his rebus disserente, diuina quæ-  
dam menti meæ affulgeat lux, dum  
propius totius mundi cœcitatem stu-

poremqz considero. Nos enim ante Iudeos tantum & Musulmanos, quos etiam Turcas vocant, in errorem inductos putabamus, eosqz solos in tenebris et captiuitate versari: verum ( ut video ) nos quoqz in media Aegypto, mediaqz Babylone vici, captiuicqz detineimur: à qua tamen nos suo aduentu Dominus noster incipit liberare. Vnum porrò est in his, quæ attulisti, quod mihi non satis probatum esse videatur. Dixisti enim ad hunc medium suū aduentum CHRISTVM respexit, cum Iudæos se visuros negaret, donec læta acclamatione, se ut Deinū cium Dominumqz reciperet: quod mihi tunc factum esse videtur, cum IESVS asinam insedens, magno cum plasu Hierosolymam ascendit. MAIN. Duo sunt in hac re diligenter attendenda: alterum, sint ne hæc dicta ante quam acclamations ille fierent, an post. Constat autem Chri

CHRISTV M̄d dixisse, post fac  
tas illas acclamationes, quod ihs per  
spicuum fiet, qui singula conferre di  
ligenter voluerint. Alterum est, vt  
quibus id CHRISTV S dixerit,  
videamus. Lucas quidem, Pharisēis  
dictum fuisse testatur. Attamen qui  
omnes Euangelicæ historiæ scripto  
res legerit, vñsum quidem illū à Pha  
risēis, nunq̄ postea tamē ab eis hoc  
dictum fuisse, comperiet: atq̄ eo ip  
so quem dicimus die, præter Disci  
pulos eius, præterq̄ pueros & tur  
bam quandam, neminem CHRISTO  
ea dixisse, legimus, quos ta  
mēn Pharisæi ipsi eam ob causam  
obiurgarunt, tātum abest, vt eorum  
acclamations cōprobarint. Quam  
obrēm, aliud tempus queramus opor  
tet, in quo Iudei uno ore cōclamēt:  
ô FELICEM CHRISTVM,  
qui nomine Domini venit. Ethoc  
illud tempus erit, de quo supra ex  
Pauli vaticinio dicere cōperamus.

Luc̄. 13.

Math. 21.

Marc. 11.

Luc̄. 9.

Ioan. 12.

D Quod

Quod hoc præsenti, in quo sumus,  
fiet aduentu: cum & Iudæi vagi &  
& palantes ad CHRISTI Eccle-  
siam se frequētes recipient: & quod  
puerorum vulgiq; voces significa-  
bant, perficietur, cum clamarent:

Matth. 21.

**HOSANNA DAVIDIS PRO-**  
**GNATO: BENE SIT EI QVI**  
**VENIT IN NOMINE DO-**  
**MINI:** atq; ita totus Israel, quod

Rom. 2.

Paulus ait, seruabit. COEL. Vi-  
deo iam nihil aperti⁹ esse, quām Pa-  
ulum eo in loco de CHRISTI hoc  
illustrationis aduentu: deq; ad eum  
Israelis concursu vaticinari: id quod  
tum ex veteribus insigniores ferē,  
& sanctiores, quos ante nominaui,  
tum etiam ex nouis nōnulli confir-  
mant. Quod si hæc de Israele tan-  
dem seruando, ad populum Dei ex  
Iudæis, atq; alijs gētibus conflatum  
(vt quidam volunt) referenda sunt,  
quid opus erat, tāq; mysterium, gen-  
tibus à Republica Israelis alienis,

ad

ad illoru spiritus dei ciendos, hoc ipsum de solis Iudeis consignare? Quid illic faceret, illa radicis & ramorum alienorum: oleæ nativæ, & oleastrorum: Israelis, & externarum gentium comparatio, atque contentio? periret enī sic illa totius capitii vndeclimi pulcherrima collatio, disputatione, & admonitio, qua nobis Iudeos (qui sunt Israelite quidem sanguine & origine, sed ad tempus, nostro commodo occaecati) commendat, quod rursum sint in ipsam nativam & veterem oleam per fidem inseredi. Ad quod etiam Paulus respexit, cum velum ab eorum oculis remouendum quondam testatur, atque prædicit. Quo magis miror tantum lumen, humanis tenebris ex hoc CHRISTI aduentu inferendum, à perspicacibus illis superiorum temporum hominibus non fuisse perspectum: nisi dicere velimus, Deo visum non fuisse, ut ea res cognosce-

2. Cor. 3.

Dij retur,

retur, quò nos de improviso adorire  
tur: atq; hoc ipsum innuere voluſe  
Dominum putemus, cum dies ad  
uentus ſui diebus alluvionis & So-  
domorum compararet. MAIN.  
Pauci quidem ( vt liberè fatear ) ex-  
titerunt, qui mysterium hoc intelli-  
gere, peruidereq; potuerint. Et ta-  
mē Cyrilli cuiusdam, & Abbatis Io-  
achimi, atq; aliorum quorūdam va-  
tum obſcurorum prædictiones, mi-  
nimeq; obſcura illa omnium de qua  
dam Ecclesiæ instauratione, mun-  
diq; renouatione, voces votaç; huc  
respicere, atq; hęc tanq; præſagire vi-  
ſa ſunt. Quanq; veteres nonnulli  
scriptores, atq; iij celebres et clari, Pa-  
pias Apostolorum æqualis, & pau-  
lò post Ireneus, & Apollinarius, de-  
inde etiam Tertullianus, Lactatius,  
ac Victorinus Pictauensis, aduen-  
tum quendam præter ultimum, or-  
bisq; instaurationem, post infinitas  
ſtrages & vaſtationes, ex diuinis

ora

oraculis (et si in quibusdam fortassis hallucinati sunt) collegere. Quorum opinionem, quamvis in omnibus non probet Augustinus, non tamen immo probat omnino: Et Hieronymus Stridonensis eam condemnare ac reij- cere, quod multi ecclesiasticonum vi- torum & Martyrum in ea fuerunt, se non audere alicubi fatetur. Quod autem presentem hanc aduentantis CHRISTI claritatem et auroram plerique aut non intellexerint, aut non probarint (tametsi diuinis praedicitionibus & signis consignata esset) & obstitit diuinum consilium (ut tu paulo ante dicebas) qui id pateficeri aperte noluit, ut aduersarios oppri- meret oscitantes: atque etiam, quod in multis locis, in quibus de Domini aduentu sacri libri loquiuntur, primi vltimique aduentus similia dici viderentur, cuiusmodi sunt ea, que de cœci- tate, de oppressionibus, de captiuita- te, de liberatione, de messe & paleis

De Ciuitate  
Dei. lib. 20.  
Cap. 7.  
Cōm. in Iere.  
Liber. 4.

D iij à fru-

à frumento secernendis, de Angelis,  
qui à quatuor orbis plagis delectos  
congregabunt, de victoria cōtra ho-  
stem obtinenda, de excitandis mor-  
tuis, de eo quod omnia noua futura  
essent, cœlum, terra, noua sponsa, at  
que vrbs sancta Hierosolyma: quæ  
omnia mysticè intellecta, nō minus  
ad hunc CHRISTI illustrationis  
aduentum, quam ad duos alios, pri-  
mum & extremum, quadrare pul-  
chrè videbuntur. Itaque illis omni-  
bus factum est, ut donec ipsa res ob-  
oculos versaretur, ea nec intelligi,  
nec credi potuerit. Evidem tamen  
fateor, hunc quem describimus ad-  
uentum, & primi illius absolutionē  
dici posse, et extremi præparationē.  
In hoc enim primum venit CHRISTVS doctor ille cœlestis, ut totus  
quacunque patet, orbis terrarū, ad  
vnam vocetur spem, vnamq; reli-  
gionem: quod cum affectum quidē  
sit, nondum tamen perfectum, ut  
confi-

confiat expectandum omnino est:  
at ubi cōfectum erit, tunc sic veniet  
**CHRISTVS** Rex regum ad iudi-  
candum, ut eum in cōlum ascende-  
re, Apostoli perspexerunt. Predica-  
bitur autem ( inquit ipse **CHRIS-  
TUS**) hoc Euangeliū regni per  
totum orbem, quo sit cunctis genti-  
bus testimonio, ac tum veniet finis.  
**COEL.** Probantur mihi ista quæ  
dicis: atq; eam fuisse caussam, non  
dubito, quam ipse modo protulisti,  
quò minus, quæ de medio hoc ad-  
uentu p̄dicta fuerant, intelligeren-  
tur: quæ quidem nō humanitus, sed  
diuinitus fuerant intelligēda ad spi-  
ritumq; referenda. Atq; vt de qui-  
busdam dicā breuiter quod sentio:  
omnia quæ genti Israelitarum in illa  
admirabili cæcitate & clade accide-  
runt, hanc communem totius orbis  
calamitatē ab **ANTICHRISTO**  
invectam portenderunt. Velut hu-  
iusce aduentus de quo loquimur, re-

Matt. 24.

D iiiij resur-

resurrectio, quid aliud est, quam ex  
rores relinquere, & ad veram IESU  
CHRISTI fidem conuerti, quae ve-  
ra est hominis vita? Quod mysterium  
a Paulo his verbis patefactum est.

Rom. 11. Nam si eorum reiectio, mundi est reconciliatio, quid erit cooptatio, nisi  
vita ex morte? Solis vero Lunaeque,  
tenebris, stellarumque casu, CHRI-  
STI, atque eius Euangelij obscura-  
tionem, ingentesque calamitates, trans-  
latione siue allegoria, omnibus pe-  
nè linguis usitata significari, harum  
rerum periti intelligunt. Iam An-  
gelos, à quibus delecti sunt congregan-  
di scandalaque ac maleficia colligen-  
da Euangelicos esse, oratores & ad  
ministros, qui à Deo mittuntur, tam  
perspicuum est, ut nulla probatione  
egere videatur. Cœlum autem terraque  
noua: noua sponsa, noua ciuitas,  
hanc Ecclesiæ instaurationem, atque  
adeo totius mundi renouationem esse  
dubitandum non est, omnia enim  
præ-

præsente IESV CHRISTO, atq; eius salutari verbo, rident, eodem absētē squalent, et vt Poëta cecinit:

*Omnia nunc rident, atq; formosus Alexis  
Montibus his abeat, uideas & flumina sicca.*

Verus enī est noster ALEXIS, verus ALEXICACOS, malorū omnium depulsor & sospitator IESVS CHRISTVS dominus noster. Ista equidem, vt dixi, ita probo. Sed tamen, quoniam video quæ contra, præter ea quæ adhuc attulimus, dici possint, operepræcium duco ea tibi excutienda, diluendaq; propone. Nam, quod certum, adeoq; aureum designas tempus, quo amplissimus ille numerus sit venturus in ecclesiam, plerisq; videberis chiliastas iam dudum explosos, vellere ducere: præterea, cum Iudaorū numerus, qui supereft, ad exiguum sit redactus paucitatem, non videtur, vñque adeò ampla accessio Deiregno futura, etiā si post nostra secula,

D v om.

omnes, Iudæi, qui ubiç sunt, ad  
**CHRISTVM** conuertantur. Illud  
 quoç abs te audire peruelim, cen-  
 seas ne futurum aliquando in hac vi-  
 ta, hocç mudi statu, ut nulli sint im-  
 probi, **CHRISTO**ç aduersi: nam  
 cum te de vna in toto terrarum orbe  
 religione, & fide differentem audio  
 videris mihi tale quiddam innuere,  
 & ad eum locum **CHRISTI** respi-  
 cere cum ait, Alias oues habeo quæ  
 non sunt huius ouilis, quæ etiam mi-  
 hi adducendæ sunt, meamç vocem  
 audient, & fiet vna ouaria, vnum pa-  
 stor. Porro quod tibi nondum vide-  
 tur **EVANGELIVM CHRISTI**  
 in terrarum orbe esse prædicatum:  
 idcirco aliud restare tempus in quo  
 omnibus prædictetur, contra Pauli  
 mentem dictum videri potest, qui

Cap. 9. ad Romanos ait: In omnem terram  
 peruenit sonus eorum. Itē ad Colo-

Cap. 1. senses: Euangelium in omni rerum  
 natura quæ sub cœlo est, predicatū  
 esse

esse. Item, in priore ad Timotheum,  
CHRISTVM DEV M prædica-  
tum esse gentibus, creditum in mun-  
do, testatur. Quæ autem de tripli-  
ci CHRISTI aduentu tradis, re-  
pugnare videntur ijs quæ Paulus ad  
Ebreos scribit. Ac, quomodo homi-  
nibus, inquit, semel moriendum est,  
deinde subeundum iudicium : ita  
CHRISTVS semel ad multorum  
tollēda peccata libatus, iterum siue  
rursus, sine peccato conspicetur ex-  
pectantibus se ad salutem. Item ijs  
quæ apud Lucam leguntur: Hic  
IESVS, qui istinc in cœlum rece-  
ptus est, sic veniet, quo pacto vidi-  
stis eum in cœlum abeūtem. Nam,  
quæ de illustrationis aduentu affers  
ea de vltimo intelligenda esse viden-  
tur: in quo clarus & gloriosus appa-  
rebit, non iam humilis & obscurus,  
vt in priore. Quod si hunc aduentum  
intelligis, qui spiritu, & Euangelij  
prædicatione constat, is aduentus

non

Cap. 3.

Cap. 9.

Aq. 1.

non est, cum CRISTVS dixerit se nobiscum fore usq; ad mudi finem: haud dubie spiritu & verbo suo, cū ipse in cœlum abierit. Illud vero etiā quod aīs ex Ioannis Apocalypsi, à Regibus esse tollendam ANT CHRISTI tyrannidem, de Christi gloria aliquid detrahere videri possit, quod hæc victoria & laus vni CHRISTO REGVM REGI reseruata esse videatur. Omitto, q pleriq; putant, signa omnia quæ iudicium illud antecessura leguntur, iam dudum extitisse. Ad postremū opinio de medio isto CHRISTI aduentu, multos alioqui securos sat, an multo etiam securiores redditur sit, vereor: dum audient nondum instare iudicium illud extremum: sed vētura prius aurea secula, in quibus omnes gentes & nationes, in unam sint coagmētandæ religionē, atq; altissima in terris pace, quieteq; fruituræ. Hæc sunt ad quæ te ante re-

respondere velim, quam ad insitum  
 de magnitudine regni Dei ser-  
 monem, reuertamur. MAIN. Fa-  
 ciam quod petis : idq; adeò magis  
 quod sciam quosdam h̄i h̄ærere, &  
 locos illos secus ac faciendum sit, ac  
 cipere. Quod igitur ad primum at-  
 tinet, tametsi Chiliastrarum patroci-  
 nium non suscipio, illud tamen di-  
 cam, eos, si quidem errarunt, magnā  
 occasionem habuisse, nam de mille  
 annis quod asseuerabant, in eo, Ioā-  
 nem in Apocalypsi sua, autorem ha-  
 buerunt. Quod si quis dicat, eos nō  
 recte Ioannis mentem intellexisse,  
 huic sic responderi posset: cum ipsi  
 scriptum teneant, & sit de re futura  
 quæstio, quis iure eos poterit refel-  
 lere: quis vtra sententia sit verior, il-  
 lorum ne an aliorum, qui verba sic  
 intelligenda esse negant, vt scripta  
 sunt, poterit demonstrare: De rebus  
 enim futuris, ex euentu iudicare do-  
 cuit Moses, Verè quidem Augusti-

Cap. 20.

Deut. 18:  
nus

nus ait, vatum predictiones, citius impleri, quam intelligi. Quid: quod in quos chiliastas vocant, non modo scripturæ testimonia, verum etiam similitudines collationesque aptas, atque in primis concinnas ex diuinorum arcanis literarum adhibuerunt.

Cap. 14. Lactantius enim libro septimo diuinorum institutionum de hac re ita differit: Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus ( sicut arcanis sacræ scripturæ continetur ) sex dierum spacio consumauit, diemque septimum, quo ab operibus suis requieuerat, sanxit. Hic est autem dies sabbati, qui lingua Hebræorū à numero nomen accepit: vnde septenarius numerus legitimus, ac plenus est. Nā & dies septem sunt, quibus per vicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum, & septem stellæ, quæ non occidunt, & septem sydera, quæ vocantur errantia: quorum dispare cursus, et inæquales motus,

re-

rerum ac temporum varietates effi-  
cere creduntur. Ergo quoniam sex  
diebus cuncta Dei opera perfecta  
sunt: per sex secula, id est annorum  
sex millia manere in hoc statu mun-  
dum necesse est. Dies enim magnus  
Dei mille annorum circulo termina-  
tur, sicut indicat propheta, qui dicit:  
Ante oculos tuos Domine mille an-  
ni, tanquam dies unus. Et ut Deus  
sex illos dies in tantis rebus fabrica-  
dis laborauit, ita et religio eius, et ve-  
ritas in his sex millibus annorum la-  
boret necesse est, malitia praevalen-  
te, ac dominante. Et rursus quoniam  
perfectis operibus requieuit die se-  
ptimo, eumque benedixit, necesse est,  
ut in fine sexti millesimi anni mal-  
itia omnis aboleantur terra, & regnet  
per annos mille iustitia, sitque traxi-  
litas, & requies a laboribus quos  
mundus iam diu perpessus est. Ve-  
rum quatenus id eveniat, ordine suo  
explicabo. Sæpe diximus minora et

exigua magnorum figuræ, & præmonstrationes esse, & hunc diē nostrum, qui ortu solis occasuq; finitur diei magni speciem gerere, quæ circuitus annorum mille determinat. eodem modo etiam figuratio terræ hominis, cœlestis populi præferbat in posterum fictionem. Nam sicut pfectis omnibus quæ in usum hominis molitus est Deus, ipsum hominem sexto die ultimum fecit, eumq; induxit in hunc mundum, tā quam in domum iam diligenter instructam: ita nunc sexto die magno verus homo verbo Dei singitur, id est sanctus populus doctrina, et præceptis Dei ad iustitiam figuratur. Et sicut tunc mortalی, atq; imperfetus ē terra factus est, ut mille annis in hoc mundo viueret, ita nunc ex hoc terrestri seculo perfectus homo singitur, ut viuificatus à Deo, in hoc eodem mundo per annos mille dominetur. Hæc Lactantius, atq; in hanc sen-

sententiam Tertullianus alijq; non nulli quæ an ita futura sint nec ne, natum sit iudicium: Euentus certè, ut dixi, demonstrabit. Quòd vero de Iudeorum huius temporis paucitate aīs, miror te hominem multarum rerum usu peritum, atque in historiæ lectione versatū, aut ignorare, aut nō satis meminisse, nonq; ne stante quidem, & in columi Rep. Iudeorum, tantam quāta hodie est, eius gentis multitudinem extitisse: id quod vel ex eo populo qui superioribus annis ex Hispania commigravit, possis cognoscere. Sunt enim qui affirment non pauciores ex Hispanijs, quā ex Aegypto duce Moše cōmigrasse. occuparūt enim amplissimas in oriente oras, & insulas. Omitto veteres Armeniæ, Ponti, Asie, deinde Aegypti, Arabiæ, Africæ, Europæq; incolas quos recensere nemo queat: qui si ad Messiam redibunt, quanta futura sit accessio,

vides. An autem omnes qui nunc extra CHRISTI caussam errant, tū Iudæi, tum semiludæi qui Muhamme dei, siue Musulmani appellatur, sint aliquando in CHRISTI ouiariam adducendi: itemq; an semper aliqui sint ad extremum iudicium usque, improbi futuri, iam ex superiore disputatione videre quid censerē, potuisti, bonam enim partem puto, paucis ob iustorum metum latitantibus, donec rursum soluatut Satan, ut Vates Domini perspicue, testantur. Quos deinde mihi obijcis locos, h̄ nihil contra nos faciunt, sed potius nostrā caussam iuuant. Nā quod ex Dauide citat Paul⁹ ad Romanos, in omnes terras peruenit sonus eorum, primum de cœli orbibus, & ambitu mundi q; pulchritudine intelligi, ex totius Psalmi serie, & Pauli disputatione, tum etiam ex nobilium interpretum aliquot sententia, perspicuum est. Significat enim,

ex

ex cœli mundiç contemplatione,  
non Iudæos modò, verumetiā Dei  
oraculorū expertes, Deum potuisse  
cognoscere: eiusç ordine, pulchri-  
tudine, & utilitate, tanquam oratio-  
ne ad pietatē erudiri. Id probat pri-  
mus ille versus: cœli, inquit, enarrat  
Dei gloriam, & opus eius manuum,  
æther ostendit, probant etiam illa  
quæ ad Romanos capite primo scri-  
bit: potuisse mortales ea quæ sub se-  
sus non cadunt, cuiusmodi est Dei  
sempiterna potētia, ac diuinitas, ex  
mundi creatione, & operibus co-  
gnoscere, imò plerosç cognouisse:  
idcirco excusationē non habere. De  
inde, quid si Paulum, vt alia nō nul-  
la, eū quoç Davidis locum hyper-  
bolicōs sumplisse dicamus in hanc  
sententiam: mirum esse si Iudei Euā  
geliūm non audierunt, cuius sonus  
iam in omnibus mundi oris audire-  
tur: omnes terras tamen reuera gen-  
tes apud quas innotuerat, intelli-

psal. 19.

E ī gens,

gens. De Euangelio autem quod  
Paulus ait, in omni rerum natura,  
quæ subiecta cœlo est, prædicatum  
esse, id non amplius est, quam quod  
in Actis Apostolorum Lucas scri-  
*Act. 2.* bit: fuisse tunc cum spiritus ille sacer-  
è cœlo illapsus est Hierosolymæ,  
Iudæos homines religiosos ex om-  
ni natione quæ usquæ sub cœlo est:  
quibus in verbis sermonis superla-  
tionem quandam, quam Græci hy-  
perbolî vocant, veteres omnes  
agnouerunt: ut & in illis, cum Pau-  
*Rom. 1.* lus, fidem Romanorum in toto mun-  
do prædicari scribit. Quamquam  
Paulus eodem ad Colossenses loco,  
quasi superiora declarâs, ait: *Quod*  
*mysterium ab omni sæculorum quo*  
*celatum, nunc patefactum est eius*  
*sanc̄tis, quibus voluit Deus decla-*  
*re, quæ sit huius glorioli mysterij*  
*opulentia apud exterias gentes: qui*  
*CHRISTVS est in nobis gloriae*  
*spes, quem nos nunciamus, omnem*  
ho-

hominem admonentes: omnem hominem cum omni sapientia docentes, ut omnem hominem reddamus in CHRISTO IESV perfectum. His in verbis idem continetur & declaratur, quod superioribus tam magnifice dictum fuerat. Nam si quis roget quid sit Euangelium in omni rerum natura prædicatum esse: respondet, nihil aliud intelligendum, quam sanctis quibus voluit Deus esse patefactum: Item, se illud nunciare ut omnem hominem reddat CHRISTO perfectum: videtur quod non tam velle intelligi, in omni orbis terrarum parte & ora, iam tum prædicatum, quam incepturn prædicari, ut aliquando totus Euangelij cursus absoluatur. Quæ enim de Euangelij ministerio in diuinis scriptis continentur, non ad unam aliquam ætatem gentium eastricta sunt, sed ad omnia Ecclesiæ tempora omnesque mortales pertinēt: quod

E iij vo-

70 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
voluit CHRISTVS, cum Euangeliū  
lum omni rerum naturæ prædicari  
iussit: illud nimirum apertè docens,  
non solis Iudeis, quod illi putabāt,  
sed etiam exteris esse diuulgādum:  
Locus verò ille ex epistola ad Ti-  
motheum nihil aliud vult, quam  
**CHRISTVM** prædicatum esse  
gentibus & in mūndo creditū, quod  
quidem non negamus, sed singulis  
iam tunc gentibus prædicatum, atq;  
à toto receptum mundo siue credi-  
tum, negamus. Neq; enim Hyper-  
borreis extremisq; Tartaris, neq; in  
America, atq; alijs nuper inuenti or-  
bis amplissimis regionibus, quarū  
ne nomē quidem post homines na-  
tos auditum fuit, prædicatū Euan-  
gelium est. Nam si Euangeliū per  
totum esset mundum prædicatum,  
iam completum esset mysterium  
**CHRISTI**: iam CHRISTVS  
ad iudicium palam venisset. Stat  
enim CHRISTI sententia: Præ-  
dica.

dicato per totum terrarum orbem Euangeliō, finem affuturum: siue ut Aurel. Augustinus interpretatur, Non ante venturum Dominum, quām orbi vniuerso Euangelium prædicatū fuerit. Ad ea præterea, quæ tu contra nostrā de triplici Domini aduentu disputationem consultisti, facilis erit responsio, si quid Paulus eo loco agat perspexerimus. Agit autem illud, CHRISTVM DOMINVM seipsum semel libasse, semel mortuum esse, ad delendum suo sacrificio peccatum. Pro inde non esse, ut iterum patiatur, ac denuo immoletur expectandum. Venturum quidem iterum Dominum sed sine peccato, idest, non ad expianda peccata, ut prius fecit, verum ad eos ad beatam vitam adducendos, qui in eo spes suas omnes collocauerint: reliquos verò condēnandos. Eodem modo intelligendum est, quod viri illi diuini, apud

E iiiij Lu-

Lucam de eius aduentu monuerūt: neq; enim corām conspiciendus est ab omnibus, nisi cum postremo cōe  
lestī militia comitatus, ē cōelo veni-  
ens, talis conspicietur, qualis in cōe-  
lum ascendit. At, his locis non ne-  
gatur, illum spiritu suo venturū, ad  
suam EX ANTICHRISTI TY-  
RANNIDE, ecclesiam liberandā,  
suumq; regnum asserendum. Nam  
tametlī, se nobiscum affuturum ad  
mundi finem vscq; pollicitus est, nō  
sequitur tamen illum quouis tēpo-  
re pariter vim suam palām ostende-  
re ( neq; enim hoc facit ) latet enim  
interdū ipse, suamq; vim & copias  
contrahit, adeò vt vix credas illum  
regnum suū administrare: id quod  
paulò ante ostendimus, cum de vni-  
uersali illa cæcitate, & rerum omniū  
perturbatione loqueremur. Cum  
igitur post tantas tenebras, lux illa  
cœlestis affulgere cœpit: ea autem  
sit CHRISTI spiritus, & Euange-  
lium,

Ium, imò CHRISTVS ipse qui  
vera lux est, CHRISTVM vel  
aduenisse vel aduētare, negari non  
potest. Hunc nos igitur medium  
aduentū, illustrationisq; vocamus,  
& quasi illius aspectabilis auroram  
quandam, diluculumq;, uti ante au-  
diuisti, appellauimus. NAM VT  
SOLEM ANTEIT DILVCV-  
LVM ET AVRORA, SIC ET  
ADVENTVM DOMINI NO-  
STRI IESV CHRISTI, ILLV-  
STRATIO PREIBIT EVAN-  
GELICAE PRAE DICA-  
TIONIS. Neq; verò si Reges Be-  
stiā illā, Meretricemq; fortunis om-  
nibus euersuros, Ioannis vatis testi-  
monium secuti, diximus, idcirco il-  
lum de ANTICHRISTO trium-  
phum victoriamq; à capite nostro  
& Rege, remouemus, ad aliosue  
trāsferimus: sed cū omnia ei pareāt,  
id opus, per Reges & Principes, tā-  
quam per suas copias, & ministros,

E v fa-

Apoc. 17. facere affirmamus. Nā & vates ipse  
 ait, Deum eis hanc mentem inie-  
 cisse, ut suam sentētiā exequātur.  
**CHRISTVS IPSE DVX ET**  
**IMPERATOR EST:** eius copiae  
 sunt, Reges, Apostoli, Euāgelistæ,  
 Doctores, Vates, Discipuliq; eius  
 omnes, Angeli, coelestesq; potesta-  
 tes: Arma, & tela, Fides, Iustitia, Ser-  
 mo CHRISTI, eiusq; Sacer Spir-  
 tus. His omnibus armatus & stipa-  
 tus **CHRISTVS, ANTICHRI-**  
**STVM DEBELLABIT.** At  
 signa & prodigia omnia quæ extre-  
 mum illud iudicium antecessura cre-  
 duntur, sā dudum extiterunt. Quis  
 hoc dicit? Gregorius Romanus, at  
 ille cum aliquot alijs falsus est: nam  
 à Gregorij ætate, multa quæ nondū  
 visa fuerant, extiterunt, quod anti-  
 quitatis periti, non ignorāt. Falsò,  
 etiam id persuaserunt quidam Thes-  
 salonicensibus, quos Paulus, altera  
 ad eos Epistola, refellit. Falluntur  
 etiam

etiam qui idem hodie credūt, falsō.  
q̄ id opinari eos euentus testabi-  
tur eorum quæ in Vatibus veteris  
& noui fœderis continentur. Multa  
quidem extremorum temporum si-  
gna Dominus apud Mattheum do-  
cuit: verum an omnia euenerit, aut  
an ad iustum mensuram peruererit,  
ut pro illis ipsis habenda sint quæ  
Dominus prædixit, ignoramus.  
Nondum enim omni falsorum pro-  
digiorum, portentorum, miraculo-  
rum q̄ genere, quod Paulus futurū  
prædixit, mūdo illusit Antichristus:  
nondum se apertè CHRISTI ho-  
stem profitetur: nondum CHRIS-  
TVS omnem aduersariam potesta-  
tem aboleuit: nondum videmus ei  
omnia subiecta: nondum quæ à Lā-  
ctantio Firmiano tum ex diuinis li-  
teris tum aliorum scriptorum vete-  
rum monumentis collecta sunt, atq;  
in septimum diuinarum institutio-  
num librum collata, euenerunt: quæ  
cum

1. Cor. 15.  
Ebr. 2.

cum erunt repræsentata, tunc Domi-  
minus sic veniet, quemadmodum  
eum in cœlū eius discipuli viderunt  
ascendentem. Vnum etiam mihi re-  
liquum eiusmodi est, quod ait verē-  
dum esse ne hæc de medio CHRIS-  
TI aduentu opinio, securitate qua-  
dam hominum animos emolliat,  
dum cogitabunt ventura prius au-  
rea secula, quam Dominus venerit  
ad iudicium. Ego verò hac opinio  
nemortales excitatum iri cōtendo,  
& istam securitatem exuti potius  
quam induci. Nam si iudicij vici-  
tate aliqui excitantur: & hoc est iu-  
dicium quoddam in Satanam, et ma-  
gnam Babylonem eiusq[ue] assedas:  
quemadmodum etiā iudicium fuit  
in primo CHRISTI aduentu: de

*Ioan. 12.* quo iudex CHRISTVS ipse, nunc  
iudicium est mundi, inquit, nunc hu-  
ius mundi princeps foras ejicitur.

*Cap. 7.* Hoc ipsum iudicium præuidens Da-  
niel, interea ( inquit ) spectante me,  
posi-

positis sellis, sedit Longeuus ille :  
 quæ verba neçp de primo aduentu,  
 neçp de extremo intelligi posse, ex  
 tota vaticinationis serie perspicuū  
 est. De hoc etiam iudicio intelligē-  
 da sunt illa Ioannis Vatis : Postea vi-  
 di alium Angelum de Cœlo descen-  
 dentem ( inquit ) magna potestate  
 præditū, cuius splendore collustrata  
 terra est. Is admodum magna voce  
 clamans : CECIDIT ( inquit ) CE-  
 CIDIT MAGNA BABYLON.  
 Quemadmodum igitur veteres Pa-  
 tres nihil segniores, aut securiores  
 reddebantur, etiam si intelligebant,  
 CHRISTI in mundum aduentum,  
 in ultimam penè mundi ætatem dif-  
 ferri : sic qui hodie eius aduentum si-  
 nemçp malorum & instaurationem  
 omnium, cum gaudio audiē expec-  
 tant, nihil segniores efficiuntur,  
 sed tanto eius aduentus cupidiores,  
 quanto magis dilatum iri intelligūt.  
 Præclare Solomon prorogata expe-  
 cta-

Apoc. 18.

Act. 3.

Prov. 13.

Etatio, inquit, mentem cruciat: vita  
lis arbor est cum adsumt optata. Est  
enim hoc naturę hominis innatum,  
vt si quid amet ac velit, quo longius  
ab eo distinetur, eo magis id cupiat  
& depereat. Præterea pri scit, vñ  
diem, vt Petrus ait, apud Dominū  
perinde esse ac mille annos, & mille  
annos perinde ac vñ diem. Neq;  
enim tardat Dominus promissum,  
vt nonnulli tarditatem interprætan-  
tur, sed lentus est erga nos, nolens  
quemquam perire, sed omnes ad sa-  
nitatem redire. Postremo, si hæc  
quærela valet, quam securitatem in-  
ducturā times, ea non magis ad hæc  
nostram spectat ætatem quam ad  
ad omnes superiores, quæ post ho-  
mines natos vñquam fuerunt. Pa-  
ulus quidem hanc reprehēsionem

**2. Theß. 2.** nequaquam veritus, Thessaloniken-  
ses de Domini aduentu securos red-  
dit, monēs ne sibi vlo modo persua-  
dere diem Domini instare patian-  
tur.

tur. Muita restare facienda: imperium Romanum abolendum, Antichristum euehendum, eius mysterium conflandum, Euangeliū prædicatione patefaciēdum, & multa alia quæ longū esset enumerare. Quam obrem, iam oportunum videtur, ut ad primam quæstionem (nisi quid aliud habes) redeamus. COEL. Nihil prorsus. Locos tibi obīcere cœperam, qui de multitudine electorum multum detrahere viderentur. Ad quam rem, ut sermonem nostrū reuocemus, equidem eum locum, qui in Esdræ libri quarti octauo capite legitur: Hoc eūum, scilicet propter multos Deum fecisse, futurum autem propter paucos, tibi non obiciam quod apud Hieronymum legerim, quartum Esdræ librum apud Ebreos nō haberī, ac ne apud Græcos quidem: idcirco inter ea reñci, quæ apocrypha vocant, quæq; infirmam & dubiam habent in Ecclesia

In prologo  
Galeoto,  
et alibi.

80 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
fidem & autoritatem. MAIN. Est.  
vt dicens, atq; idipsum tibi, nisi an-  
teuertisses, respondissem. Nam si  
nec Ebraicè nec Græcè habetur, sed  
Latinè tantum, superest igitur, vt su-  
positius & adulterinus esse creda-  
tur: præsertim cum inanum atq; in-  
utilium quæstionum, quæ spiritus  
diuini sobrietatem ingeniumq; nō  
sapiunt, refertus esse videatur. Quid,  
quod ea ratio, qua paucitatem ser-  
uandorum ostendere nititur, inep-  
ta & vulgaris est: Idem, inquit, es-  
se quærere, cur pauci seruentur, ac si  
quis quærat, cur terræ multum, vnde  
fictilia fiant, reperiatur, & paulu-  
lum pulueris, vnde fiat aurum. qui  
bus verbis illud videtur innuere,  
quod iam tritum est sermone pro-  
uerbium: Omnia præclara rara.  
Sed quantum id habeat ponderis,  
videamus. Primum similitudo ipsa,  
contra Pauli legem peccat, quia di-  
uina diuinis conferenda esse dicit.

.1. Cor. 3.

At

At ubi quæso in diuinis vnquam literis lectum est, aurí raritate, paucitatem electorum significari. Excel lentiam quidem, ac puritatem aurí commendant diuini scriptores: de rritate nihil loquuntur, veluti Petrus cum fidem electorum auro, quod igni exploratur, longe præciosiore ait inueniri: Paulus item auro, argento, gemmis, gradus sinceræ doctrinæ indicare voluit, in qua magis, minusue CHRISTVS exprimitur, & illustratur: quemadmodum ex altera parte ligno, feno, stipula, humana doctrina s, quib, CHRISTVS non illustratur, sed obscuratur potius & sepelitur, significauit. Deinde, nihil est rarum, nisi ei, qui careat, quo si abundat, iam rarum non est: erit tamen vel opinione, vel natura præciosum. Potuit iste Esdras id vel ex Solomonis tempore discere, quo tanta fuit in Iudæa auri copia, ut argentum nullius esset præcij. Quid Ty-

.1. Petr. 1.

.1. Cor. 3.

.2. Reg. 10.

Zach. 9. ri in Phœnicia: An non, Zacharia  
vate testante, tanta auri argentiq; vis  
fuit, quanta pulueris & lutis in vicis:  
an ea tunc eo loci rara ( quæ tamen  
præclara sunt ) fuere: non equidem  
magis, quam eadem in America ali  
isq; nuper inuentis terris: aut hebe  
num, aromataq;, & odores in India,  
aut Leones in Africa, aut Thura in  
Arabia, aut in cœlo stellæ, aliaq; in  
numerabilia, quæ alicubi simul &  
copiosissima & præstantissima sunt.  
Quid: quod interdum etiā vnu  
nire solet, ut quod apud alios vilissi  
mum est, id ipsum apud alios sit præ  
ciosum: Non ne allium, quod ab  
Horatio cicuta nocētius dicit, quod  
q; apud nos per contemptum piper  
rusticoru appellatur, apud exteris  
quasdam gentes, non solum piperis  
optimi loco, verum etiam odoris,  
atq; vnguenti suauissimi habetur:  
Præterea alia ratione aurum, alia ter  
ra excellit: aurum & gemme, splen  
do-

dore & possessione, quadamq; opiniōne: terra verò & ferrum, atq; alia id genus multa, magno quodā usū præstant. ex terra enim culta & subacta, vitam & spíritum ducimus, quòd ex ea fruges accipiamus, quas nullo auro, nullis gemmis, nisi patens & alumna daret tellus, habemus. Quid aqua magis vulgare? attamen omnium optimam aquam esse cecinit Pindarus. Ex his igitur, quæ adhuc diximus, satis iam liquere existimo, nec omnia præclara rara: nec contra, omnia vulgaria & copiosa, esse vilia & abiecta. Iam sequitur, vt quoniam nihil homine ullo in genere reperiri præstantius potest, ostendamus Deum hoc genere velle circumfluere. Quæro igitur ex te ( sed velim mihi vt amator, non vt contemptor horum respondreas ) nū si possis, velles auro, gemmis, cæterisq; id genus alijs, quæ vulgo putantur præstatiſſima,

F ij abun-

abundare; COEL. Quid nō cum  
earum rerum tanti fiat possessio.  
MAIN. Quid; si artem aliquam  
teneres, qua arte posses non modo  
reliqua metalla, verum etiam ipsa  
saxa & lapides in gemmas, margari-  
tas, & purum pūtum aurum conuer-  
tere, non ne id ipsum cupidissime fa-  
ceres? COEL. Facerem, sed clā,  
ne forte id resciscens aliquis istorum  
auarissimorum principum, me inclu-  
deret: ut sibi vni tantos Thesauros  
congererem: ac quò plura possem  
(ea est homini innata cupiditas) eò  
me beatiorem ducerem. MAIN.  
Verè & secundum naturam respon-  
des. At qui, cum, vt dixi, nihil sit  
homine bono & iusto excellentius,  
& sit in Dei potestate situm, quoscū  
q̄ & quotquot velit ex hominū ge-  
nere sibi deligere, atq̄ ex impuris,  
puros, ex iniustis iustos, ex terrenis  
cœlestes & diuinos facere: Quis ne-  
get eum velle non paucos aliquot,

sed

sed potius, innumerabiles, pluresq; quam aduersarius, habere: Quanti autem hominē faciat, ut alia omit-  
tā, quę sunt infinita, in eo declarauit,  
quod homo fieri voluerit, & suo ho-  
minem sanguine, ab interitu vindicare. Hanc ipsam sanctorū infinitam multitudinem & vim adūbrare  
voluit spiritus in terestris Solomonis  
tatis thesauris: atq; hoc ipsum vult,  
Ioannes vates Domini in Apocalip-  
si sua, cum Dei ciuitatem illam sanc-  
tam ex auro puro, atq; omni genere  
gemmarū & vñionum totam à fun-  
damentis constare describit. Quæ  
cū ita sint, iam alia, quæ tibi in prom-  
ptu esse nō dubito depromas licet.  
COEL. Faciam quod iubes: sed  
cum ex veteri fœdere nihil assumi  
queat, quod magnopere vrgere pos-  
se videatur, ( nam de Esaie reliquis  
seruandis, post video ) ad nouum  
me cogitatione conuertam. In eo  
enim illud occurrit primum, quod

1. Tim. 3.  
Actor. 10.  
.1. Petri. 1.

Apoc. 21.

F. iij. CHRI.

CHRISTVS ipse dixit: Intrate per angustam portam: nam lata est porta & ampla via, quae ducit in extium: multiq; sunt qui per eā ingrediuntur. Porta verò, quae ducit ad vitam, angusta est, viaq; stricta, ac pauci sunt qui eam inueniāt. Hinc CHRISTVS multos condemnandos, paucos verò beandos significare, nō obscurè videtur. MAIN. Praeclarè quidē, modesteq; loqueris mi Cœli, cum videtur dicis: neq; enim omnia quae esse videtur, sunt, nec quae apparent, statim vera esse probantur. nam alia sunt reuera, quod esse videntur, ut aurum & argentum ipsum: alia non propriè vere dicuntur, iudicio tamen sensus videntur: qualia sunt, lithargyrina & stannea, quae argentea, & felle infecta, quae aurí præ se ferūt speciem. Eodem pacto stelle è cœlo cadere noctu videntur: ex quo illud Poetæ.

Aeneid. 2.

Suadentq; cadentia sydera somnos.

nec

nec cadunt tamen: ut quae à stando siderendo & stelle, & sidera dicantur, quod stent, fixeque in suo queque orbe & loco maneat. Quin & sol ipse, cum in alterā nobis aduersam partem inclinat, quam Græci vocat antaxona, ijs qui loca maritima incolunt, in mare ipsum ingredi, immergi videtur: vnde & ab eodem Poeta( dum apparentia vulgique opinionem sequitur) dictum est:

*sol quoque et exoriens, ex cui se condet in undas,*

Georg. I.

*Signa dabit.*

At quis credat solem, cum occidit,  
se in maris vndas condere? qui tam  
longe ab eo preterit, quam cœlum  
ipsum à terræ aquarumve globo' di-  
stat. Sed si hoc videtur esse altius,  
quam ut id nos humi strati suspice-  
re possim, illud certe, quod CHRI-  
STVS Magister noster dicit, nosse  
& tenere debemus. Hypocritæ,  
quos nos simulatores dicimus, & si  
Græca vox iam à populo belle in-  
F iiiij telli-

telligatur, nonne sancti veriçp vidē-  
tur: qui tamen à vera sanctitate pie-  
tateçp tam longè absunt, vt CHRL-  
STVS eos sepulchra dealbata, quæ

**Matth. 23.** cum foris splendeant, intus sordiū,  
fetorisçp plena sunt , appellaret.  
Multiçp ( vt idem dicebat ) oües ap-  
parent, vestitu scilicet quodam &  
gestu, reuera autem sunt lupi rapa-  
ces. Sic contra: plæríçp mundo pa-  
rum religiosi habentur, ac tanquam  
in Deum impíj vulgo existimantur,  
digito monstrantur, exsibilantur, ir-  
ridentur, exagitātur, vinciuntur, va-  
rijsçp supplicjs afficiuntur, mortiçp  
traduntur: qui tamē soli veram doc-  
trinam tenent, veramçp religionem.  
Verum hanc rem, non solum quia  
perspicua est, & crebra, sed etiam q  
eam dudum nos ipsi sentimus, atçp  
in nobis ipsi experimur , nihil est  
opus exemplis confirmare. Idcir-  
**Iohn. 7.** co monebat nos sedulò Magister,  
ne ex facie aliquid, quæ plerunçp fal-  
lacis.

Iacissima est, sed iudiciū verum, vera cū ratione, iudicaremus. Idemqp  
 Phariseos reprehendebat, quod hu *Ioan. 8.*  
 mano more iudicarent. Nec enim  
 (ut dicitur) omne quod lucet, aurí-  
 qp speciem præse fert, aurum est. Idē  
 dicendum de isto, quem tu mihi ob-  
 iecisti, loco: & erit forsitan de alijs,  
 qui ciuitatem Dei, numerumqp bea-  
 torum extenuare, Antithei autem  
 amplificare, augereqp videtur. Nā  
 si pia quadam curiositate doctaçp  
 scrutabimur, & queremus, multa vi-  
 debimus longè secus esse omnino,  
 quam primo aspectu videātur. Ac  
 vt id ex hoc ipso loco monstramus,  
 scribit Lucas in Euangelicæ histo-  
 riæ libro priore, à CHRISTO quā-  
 dam quæsiuisse, essent ne pauci, qui  
 ad salutis portum appellerent: Ad  
 hæc salutis autorem respondisse: Cō-  
 tendite intrare per angustam portā,  
 nam multi (ut hoc sciatis) qui intra-  
 re conabuntur, non poterūt. postea

*Cap. 13.*

F v quām

quām enim Paterfamilias surrexerit, hostiumq; clauserit, & foris stare, & hostium pulsare cōperitis, dices: Domine Domine aperi nobis: ille vobis ita respondebit: Nescio vos vnde sitis. Tum vos ita dicere insisteret: Epulati sumus corām te, et bibimus, tuq; in nostris plateis docuisti. At ille, profecto nescio vos, inquiet, vnde sitis. Faceisse à me omnes malefici. Tunc erit ploratus stridorq; dentium, cum Abraham, Isaacum, & Iacobum, omnesq; vates in Dei regno conspicietis: vos verò foras excludi: veniētq; ab oriente, & occidente, & Borea, & Austro, qui in diuino regno accumbant. Et quidem vltimi sunt, qui primi erunt, & primi sunt, qui erunt vltimi. Princípio, nequaquam dubitas (opinor) quin hæc verba intelligenda sint de Iudæis. Quod si forte etiam dubites, confirmari facile poterit illis verbis: Edimus corām

ram te, & bibimus, ac etiam in plateis nostris docuisti, quasi illis hoc prodeesse debeat, æquumque sit illos in regnum Dei recipi, quod Paterfamilias ex ipsorum gente sit, atque ad ipsos potissimum missus: quæ verba referre quidam ad extremum Iudicij diem volunt: Sed mihi omnino ad primum CHRISTI aduentum referenda esse videntur: id quod singula, quæ illuc dicuntur à CHRISTO, diligentius, consideranti, lucidius apparebit. Quare & ipse CHRISTVS sententiam de paucitate seruandorum rogatus, ad questionem non respondit: Sed alio sermonem torsit: ne illos segnes ad regnum Dei capessendum redderet: hortatusque est, ut per angustam portam intrare niterentur, quæ propediem (Patre scilicet familias excitato) esset illis occludenda. COEL. Quid haec porta est: aut quo tandem modo claudenda. MAIN. Si tibi quid

quid hic claudere portam significet  
 ostēdero, quid, aut quæ sit ipsa por-  
 ta, facile intelliges. COEL. Quid  
 igitur id est? MAIN. Claudere  
 ianuam Magister intelligebat, arca-  
 no Dei consilio, Iudæos obsecare,  
 ne se agnoscerent ( ut vates Eſaias  
 prædixerat) corda ad tempus velare  
 & tegere, eosq; ab ſe procul reiſcere  
 ac ( ut vno verbo dicam ) portæ oc-  
 clufio, Israelis reiectione eſt, ut gentes  
 in Regnum interea, acciperentur.  
 Quæ ſententia, illis etiam verbis co-  
 firmatur, quibus, poſtquam ianua  
 erit clauſa, venturos ē quatuor terræ  
 plagiſ, qui accumbant in Regno,  
 Dei, prædicit. Item quod in Actis  
 Cap. 14. Lucas ſcribit, Paulum et Barnabam  
 concioni renunciæſſe, Deum genti-  
 bus externis aperiuſſe fidei portam.  
 Item, quod Lucas eodem loco ait:  
 Claudendum eſſe oſtium, poſtquā  
 Pater ille familiās surrexerit: Surre-  
 xit autem, cum CHRISTVS (qui  
 est

est ille paterfamiliās domusq; Dei  
 dominus ) à morte fuit reuocatus.  
 Ex quibus sequi vides, angustam  
 portam nihil esse aliud, nisi breue  
 angustumq; illud temporis interval  
 lum, in quo CHRISTVS cum illis  
 futurus erat, aut, si id maius, totum il  
 lud tempus, quod à CHRISTO  
 usq; ad Hierosolymæ obsidionē, ex  
 pugnationē, excidiumuè interfuit.  
 Id autē ipsum est, quod certissimus  
 Deivates Daniel, significabat, cum  
 diceret: Messiam vna hebdomade  
 fœdus cum plariscq; firmaturum: &  
 in medio hebdomadis auferendum  
 esse sacrificium & fertum: deinde va  
 stationem secuturam. Tribus enim  
 & dimidio, ex septem postremis an  
 nis ( id enim continet hebdomas  
 vna ) qui in Danielis vaticinatione  
 continentur, CHRISTVS Euan  
 gelij nouum fœdus promulgauit,  
 & sanxit, & morte sua, corporisq;  
 sacrificio sui, veterem sacrificandi ri  
 tum

Dan. 9.

tum sustulit, & abrogauit: quo fac-  
to, nihil erat expectandum, præter  
Hierosolymæ, urbis excidiū, regni-  
q; Iudaici euersionem: Quod quidē  
signum esset perspicuum, Israelem,  
populum vè Iudaicum esse reiec-  
tū, eisq; portam salutis, clausam ad  
tempus esse. Sed CHRISTVS  
Danielem paucis, verum perspicu-

Matt. 24. is verbis, explicauit: Quidam autem  
Luc. 21. videritis, inquit, à militum copijs  
Hierosolymam circumfederi, tum  
scitote eius instare vastitatem. Et  
paulò post: Nā hæc regio, inquit,  
graueriter præmetur, & in hunc po-  
pulum atrociter færietur, ut gladio-  
rum acie cadant, & per omnes gen-  
tes exulent, calceturq; à gentibus  
Hierosolyma, donec exterarū gen-  
tium tempora cōpleantur. COEL.  
Sed quæ nam sunt tempora gentiū,  
quæ implenda dicitur MAIN. Di-  
cam, & si aliter quam magni plæriq;  
viri senserit, Significat enim CHRI-  
stus

STVS Iudæos tantisper in cæcitate illa & calamitate manfuros, donec reliquæ orbis nationes ad Euangelium confluxerint, quorum tempora sunt à Domino definita. Et est aliud nihil, quam quod supra ex Paulo adduximus: Cæcitatem Israeli ex parte accidisse, donec plenitudo gentium adueniret. Expende nunc, an nō hæc similia inter se sint: COEL. Sunt certe, nisi quod Paulus rem totam fusius clariusq; expavit. MAIN. Et hoc promiserat etiam CHRISTVS: Spiritus, inquit, ille Paracletus vos docebit *Ioan. 14.* omnia, & suggesteret quæcunq; dixi vobis. Sed vt ad ea redeamus, que CHRISTVS respondit ei, qui se rogabat, an pauci essent, qui seruarentur: ea autem hunc sensum habent: Queritis à me, Paucine sint hi, qui salutis portū attingant, at ego vos moneo, ne nunc tempus rogan do querendoq; extrahatis, sed quā fieri

fieri potest celeriter, in hoc meum  
Euāgeliū nouumq; regnum introire  
contendatis. Tempus enim breue  
est, atq; vbi definita hora aderit, ve-  
stræ reiectionis, ingruetq; calamiti-  
tas, tunc frustra conqueremini, intra-  
re q; voletis. nam vobis occlusa erit  
salutis ianua, facultasq; ablata credē-  
di. An verō pauci ex vobis, ô Iu-  
dæi, seruandi ab illo diluuiō sint, ne  
anxiè quæratis: quin potius qui sa-  
piunt inter vos, ex illorum, qui ser-  
uantur, numero, esse diligenter cu-  
rent: quod quidem fieri promptum  
est, si modò meis verbis firmiter cre-  
dant citoq; adhereant, quibus & ad  
nouam vitam omnes prouoco, & re-  
gnum Dei aduentare palam doceo,  
atq; denuncio. Quam sententiam  
si idem continere credimus, quod  
Mathei verba, quæ tu mihi supra  
obiecisti, significant (quod quidem  
negari non potest, cū angustæ por-  
tae in utroq; loco mentio fiat) de nu-  
mero

mero electorum locus Matthæi in-  
intelligendus non est. Nam si ex  
Lucæ loco aliud ostenditur nihil,  
quam breue illud spacium tēporis,  
in quo licebat Iudæis in CHRISTI  
regnum perfidem ingredi, quamq; C. 1. 1. 2.  
Iudæorum, qui quidem tunc credi-  
turi essent, exiguis numerus, conce-  
das mihi necesse est, quæ apud Mat-  
thæum CHRISTVS de paucis  
multisq; dissenseruit, ad Iudæorum mo-  
dò gentem referri: è qua gente, pau-  
ci quidem per veram portam, quæ  
CHRISTVS est, ingressi sunt, mul-  
ti verò arcando iustoq; Dei consilio  
exclusi, foris manserunt. Itaq; ex  
hoc Lucæ loco, ille alter Matthæi ex-  
plicatus est. COEL. Adducis me,  
vt tibi assentiar: atq; eò magis, quod  
hunc Lucæ fuisse proprium morem  
pleriq; fatentur: vt quod in alijs im-  
plicate, ac obscurè scriptum fuit, hic  
explicate dilucideq;, narraret, id  
quod elegantis perspicuiq; scripto-

Gris

ris est munus. Cuius rei vnum exē  
plum proferam pro multis, quæ in  
ijsdem autoribus inuenire poterit, is  
qui in eorum erit scriptis studiose, et  
multum volutatus. Matthæus scri

**Cap. 27.** bit latrones, inter quos crucifixus  
erat CHRISTVS, eadem que pon  
tifices & scribæ eidem exprobrasse:  
nec aliud quicquam adiungit: verū

**Cap. 23.** Lucas ea figura explicata, qua plu  
res pro vno usurpantur, vnum tan  
tum facinorosorum in CHRISTVM contumeliosum fuisse di  
sertè dicit: alterum verò tantum ab  
esse, ut ei conuictiaretur, ut potius co  
uitantem castigaret, & se Domino  
CHRISTO comendaret. Quod  
quamq[ue] ita sit, scire tamē velim, sit  
ne alia eius loci, vbi de porta deq[ue]  
via agitur, explicatio, si quis illa for  
te priore contetus nō esset. MAIN.  
Est prorsus Cœli, nam locus ali  
quis ad falsam opinionem aliquam  
probandam assumptus, quemuis

sen-

sensum potest admittere , potius  
 quam eum, qui ad falsum confirmā-  
 dum adhibeatur. Itaq; nos hunc lo-  
 cum à falsa opinione comprobanda  
 abducemus: atq; ad veram stabilien-  
 dam accommodabimus. Primum igi-  
 tur omnium illud in cōfesso est , nec  
 eget confirmatione: omnes homi-  
 nes propter Adami contumaciam  
 ac delictum, sontes , & impuros gi-  
 gni & nasci. Nam quod de se Da-  
 uid confitebatur, id in omnes mor-  
 tales è semine satos, cadit. Evidē,  
 inquit, in vītio genitus sum, & in  
 peccato mea concepit mater.  
 Idem etiam Paulus, cum aliās sāpē,  
 tum ad Romanos apertē testatur.  
 Illud quoq; perspicuū est, si qui sunt  
 iusti, eos id CHRISTO IESV, qui  
 vñus iustus, atq; omni exparte pu-  
 rius, est, nostraq; iustitia, & sanctitas,  
 acceptū ferre debere : cuius fiducia  
 nobis peccata condonātur: & à quo  
 tanquam à capite, in omnes sibi fi-

**G** ij den-

dentes, per quandam nouam diuinamq; palingenesiam, Dei virtus, spiritusq; iustitie, fluit ac dimanat.

*Ioan. 1.* Nam ex eis plenitudine nos omnes sumpsimus, qui eius corporis

*Ephes. 5.* membra sumus, ex eius carne atq; ossibus. COEL. Ita est prorsus:

& his duobus pronunciatis, omnia diuina oracula, omnes sanctae literae suffragantur. MAIN. Iam Domi nus hic geminas portas, geminasq; vias nobis proponit, vnam latam at q; amplam, alteram arctam & angustam: quarum illa ad interitum, hac ad vitam ducat. Verū quid interitus atq; exitij viam aliud esse putemus, quam naturam humani generis corruptam, atq; ad omnem improbitatem erroremq; propensam? Vitæ verò iter, quid aliud, quæso, potest esse, quam legis diuinæ obseruantia, CHRISTIq; DOMINI

*Ioan. 14.* imitatio, qui vera est & via, & veritas,

*Matt. 19.* tas, & vita, quiq; ait, si vis in vitam ingre-

ingredi, serua mādata: Item si quis post me venire vult, abneget ipse se, tollatq; suam crucē quotidie, & me sequatur. COEL. Religiosē tu qui dē hasce vias interpretaris: sed Philosophi ac Poetæ earum quoq; membrinere: quarum alteram virtutis, alteram vitiorum viam appellarunt: atq; ad eas ostēdendas Græcorum, Ypsilon, accommodarunt: eamq; Pythagoræ literam quidam nominarūt, propterea quōd (vt mea opinio fert) is primus duas illas vias in eius literæ figura demonstrauit. Hinc Poeta latinus de ea literæ, de Hesio di sententia, sic.

Luce. 9.

Vergil. in  
Opusculis.

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,  
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.  
Nam via virtutis dextrum petit ardua calle, G. 10. 100. 100.  
Difficilemq; aditum primū spectantibus offert:  
Sed requiem præbet sessis in vertice summo.  
Molle ostentat iter via lata: sed ultima meta  
Præcipitat captos, voluitq; per ardua saxa.  
Quisquis enim duros casus virtutis amore

G. 10. 100. 100.  
Vice.

Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit.

At qui desidiam luxumq; sequetur inertem,

Dum fugit oppositos inculta mente labores,

Turpis, inopsq; simul miserabile trāsiget æuū.

Verum quod alibi de ijs vijs idem

Aeneid. 6 cecinit, propius ad nostram sententiā accedere videtur:

Hic locus est, parteis vbi se via findit in ambas:

Dextera, que Ditis magni sub moenia tendit:

Hac iter Elysium nobis: at lœua malorum

Exercet poenas, & ad impia tartara mittit.

Quæ quidem mihi absonta ijs quæ CHRISTVS docuit, esse non videantur. MAIN.

Esto ita videantur, tamen in eo differunt, quod illi

vtranq; viam ab uno principio et capite, proficiisci volunt: tāquam à na-

tura vitia pariter & virtutes profici-

scantur, quasi ab uno eodemq; fon-

te, amarum, & dulce, calidumq; &

frigidum manet: quasiq; ambæ illæ

viæ in nostra sint potestate. Deinde

Cic. de off. in easdem ingressum, certæ ætati at-

Libro. 1. tribuerunt, ut de Hercule memoriae prodi-

proditum est. Postremo neutri illarum ducem aliquem certum proposuerunt hæc illi de duabus vijs tradunt. At nos alteram à nostra natura proficiisci, nimirum viam vitiorum: alteram à Deo, quæ via iustitie est, omniumq; virtutum: quò fit, ut non idem sit vtriusq; principium, cum vna à Deo ducat initium, altera à nobis. Item, in nostram ab ipso matris vtero, nascentesq; ingredimur: in eam vero quæ ex cœlo oriuntur, ingrediuntur, quos Dei bonitas destinavit: neque hī certa aliqua & definita omnibus pariter ætate, sed quā docunq; Deo visum est. Nam in eam ingressus, non in hominis, sed Dei situs est voluntate: qui solus autor & dux eius est, ut alterius Satan. A Deo, inquit sapiens, pendet pro. 20: viri gressus, & quis hominum viam suam perspiciat? Quibus verbis significat neminem mortalium, viam quæ sequi debeat, cognoscere: quod

G iiiij si

si quis in eam ingrediatur, eum non  
suapte natura, sed Dei instinctu in-  
eam quasi manu duci. Atq; id est,  
**Psal. 16.** quod à Davide dicitur: Tu Deus,  
me viam vitæ docebís. Illud quoq;  
videndum est, DOMINVM IE-  
S V M non ad philosophorum aut  
poetarum vias alludere, sed ad vita-  
lis arboris viam, quæ iam inde ab or-  
be condito propter Adami contu-  
maciam, toti posteritati interdicta  
atq; interclusa fuit, quēadmodum

**Gen. 3.** in Mose originibus habetur. CO-  
EL. Evidem iam video, quām  
longē distent inter se philosophorū  
mundi q; sapientium sententiæ, ab  
ijs, quæ sacris Dei libris continen-  
tur: & si nonnunquam similia, corti-  
cem modo spectanti, dicere videan-  
tur. Itaq; deinceps vtrumq; genus  
scriptorum meliore iudicio euoluā,  
atq; distinguam. Sed ut ad institu-  
tam disputationem redeamus, in il-  
lis Domini verbis mouet me non

parum, quod dicitur, multos in viam, quae ducit ad interitum, ingredit paucos vero esse, qui vitae viam inueniant. Quod si ita est, pauci profecto ad vitam peruenient, multi autem in mortem, atque interitum ruerent. MAIN. Velim te Cœli pauisper, si videtur interrogare, tecum mihi respondere: nam hac forsitan via facilius ad nostræ disputationis caput, perueniemus. COEL. Mihi omnino videtur, atque eò magis, quod hac fuit antiquarum disputationum ratio, iam inde ab ipso Socrate deducta. MAIN. Fateris tu quidem, ni fallor, atque id iam mihi ante dedisti, latam illam viam atque procluem esse vniuersæ hominum naturæ corruptelam. COEL. Prorsus id fateor. MAIN. Et semitam arctam ac difficilem, viam esse præceptorum Dei, viam crucis, per quam Dominus noster abulauit. COEL. Et hoc iam tibi paulò ante concesserat.

G v ram.

106 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI

MAIN. Iam mihi dicas ve-  
ram, quid in viam latam, viamq; na-  
turæ corruptæ ingredi esse putas: an  
non quod antè dicebamus, in vitiis  
gigni, atq; ex corrupta veteris Ada-  
mi materia fingi & nasci? COEL.  
Ita quidē existimo. MAIN. Quid?  
Censes nē omnes homines nullo  
prorsus excepto, an aliquot tantū,  
hac nascendi via, in hanc calamitatē  
peccatiq; necessitatē introire? CO-  
EL. Omnes prorsus, præter iusti-

Rom. 3. tiæ autorem IESVM CHRL-  
STVM, qui idcirco nouis homo,

Rom. 5. atq; alter Adamus à Paulo appellat-  
ur. Nam vt per vnum hominem  
peccatum in omnes propagatū est:  
sic per vnum hominem iustitia, in  
omnes qui credunt, dimanauit. Præ-  
terea Dominus ipse semel naturæ  
nostræ ingenium & prauitatem in-

Ioan. 3. dicauit, cum ait: Quod ex carne na-  
tum est, caro est. Item Paulus: Scio  
non habitare in me, hoc est in mea

Rom. 7. carne,

carne, siue natura, bonum. Item,  
Eramus, inquit, physi, idest natura,  
siue omnino filij iræ, sicut & cæteri:  
qui loci, cum alijs penè innumerabiliis,  
perspicue ostendunt, omnes homines natura impuros esse:  
ut taceam prauos illos affectus &  
cupiditates, cordisq; & corporis fa-  
cinora atq; flagitia, quæ ex ipsa vi-  
tiosa arbore tanquam nocentissimi  
fructus proferuntur. MAIN. Sci-  
tè admodum, atq; appositè respon-  
des. Sed quid tu esse credis tū por-  
tam, tum viam inuenire quæ dicit  
ad vitā COEL. CHRISTVM  
haud dubie, qui porta ipsa est, & via  
& vita: eumq; rebus omnibus alijs,  
post habitis, & mēte sequi, atq; mo-  
ribus. MAIN. Sed quotusquisq;  
tua sententia, natura duce, aut pro-  
prijs viribus, hanc viam portamq;  
ingreditur? Quis CHRISTI ve-  
stigia ita ut dixisti, perpetuò sequi-  
tur? COEL. Heimihī, nemo pror-  
sus,

Rom. 3. sus, ne vnuſ quidem. Nam cū natu-  
ra, ſit interitus via, vt iam dixim⁹ ea  
quo nos queso quām ad interitū du-  
ceret: MAIN. Omnes igitur, na-  
tura duce, vt in mortem, ſic & in cō-  
demnationem currunt, ac prolabū-  
tur: nemoq; ſalutis directum iter te-  
nere potest: COEL. Hoc iam ti-  
bi ſine vlla dubitatione concessi.  
MAIN. Dominus igitur cum mul-  
tos diceret, omnes intellexit, cū ve-  
rō paucos, nulos intelligi voluit.  
COEL. Negare non poſsum: nam  
cum antecedentia conſeruerim, con-  
ſequentiā pariter concedere necesse  
eſt. Sed cur Dominus multos &  
paucos, quām omnes & nulos, di-  
cere maluit: MAIN. In eo Do-  
mini ſapientiam ac lenitatem con-  
templari licet, qui ſemper ita loque-  
batur, ſermonemq; temperabat, vt  
nec hi in desperationem caderent:  
nec illi arrogantia efferri ex iſiſus  
oratione poſſent. Itaq; multos di-  
cere

cere placuit, nō omnes, quo rei aspe-  
ritatem verborū lenitate mitigaret  
( nam si omnes dixisset, in despera-  
tionē audientes, pr̄fertim timidos  
atq; infirmos conieciſſet ) atq; eodē  
consilio paucos viam vitæ inuenire  
pronunciauit: ne ſi nullum, ſpem cō-  
ſequendæ ſalutis proſus præcidere  
videretur: atq; in hunc modum diui-  
na verborum moderatione, quanta  
ſit noſtra miſeria & prauitas oſten-  
dit, cum multos dicit: nec omnem  
nobis penitus ſpem præcidit, cum,  
paucos, ait. COEL. Quis igitū  
ſeruari poterit: MAIN. Audi, cū  
aliquando Magiſter ipſe, facilius eſ-  
ſe rudentem perforamen acuſ traīj-  
ci affirmasset, quām diuitem in Dei  
regnum intrare, viderunt diſcipuli  
ſi ita res haberet, neminem intratu-  
rum: proinde admirabundi, ac penē  
desperabundi: Quis ergo, inquiūt,  
ſeruari poſſit: Quibus ille fassus  
est, hoc quidem apud homines fieri  
nullo

Matth. 19.

nullo modo posse: apud Deum vero posse. Ita vnam eandemque rem & fieri posse, & non posse docuit: posse quidem diuino auxilio, humanis autem viribus nequaquam. Atque

**Philip. 4.** hoc illud est, quod Paulus iure glorabatur, se omnia posse per CHRI STVM, a quo robur acciperet. In

**Math. 11.** hunc quoque modum intelligendum est, iugum Domini lene esse, & onus leue. Est enim leue ac facile gratiae, humane autem naturae graue. CO EL. Aptissime ista & coniungis & exponis. Ac puto te illud velle, Dominum cum ea diceret, qua fuit lenitatem, ea usum figura, quam hypocorismos, id est, extenuationem vocat Græci Rethores, quæ hyperbole contraria est, quæ res & facta incredibiliter tolluntur. MAIN. Recete censes. nam eiusmodi extenuationes in communi sermone multum versantur, atque in oratoribus frequenter occurunt: in sacris autem libris

olim

non-

nonnunquam, veluti exempli gra-  
 tia, cum Paulus de Iudæorum cōtu-  
 macia scribens ad Romanos: Quid <sup>Rom. 3:</sup>  
 enim inquit, si nonnulli eorum non  
 crediderunt? Nonnullos ait siue  
 aliquot, cum aliquot tantū CHRI-  
 STO credidissent ( nimirum reli-  
 quiæ quædam à ceteris selectæ ) reli-  
 qui omnes excœcati essent, vt Pau- <sup>Cap. 8. II.</sup>  
 lus in eadem epistola testatur. Ea-  
 dem figura usus est, cum ait: Si enim  
 vnius delicto multi mortui sunt,  
 multo magis Dei beneficium ac do-  
 num, vnius hominis IESV CHRI-  
 STI beneficio, in multis exubera-  
 uit. Item paulò post: vt enim inquit,  
 vnius hominis contumacia, sontes  
 effecti sunt multi; sic etiā vnius obe-  
 dientia iusti efficientur multi. Iam  
 te videre non dubito, in his duobus  
 locis esse manifestam extenuationē,  
 cum ait multis mortuos esse. Item  
 multis sontes effectos: quæ etiam  
 Origenes agnouit, vt testantur eius

<sup>651751</sup> com.

commētarij: nam antea dixerat per Adamum & in Adamo omnes son tes effectos mortic̄ obnoxios. Quę cum ita sint, te iam luce meridiana clarius perspicere arbitror, Domi num in hac viarum portarumc̄ similitudine, nihil de damnatorū aut seruandorum multitudine vel pau citate omnino esse locutum: Ut ta men certius perspicias, Dominum in eo Matthēi loco nihil de futura vi ta absolute et simpliciter intellexisse neq̄ de extremo fine quicquā esse locutum, cogita eum non dixisse, multos in interitum omnino venturos, aut vitam paucos inuētueros, sed multos in eam viam ingredi, quae ducit ad interitum, paucosq̄ viam inuenire, quae dicit ad vitam: neq̄ enim via est finis. Atq̄ etiam viæ mentione facta, presentis admonet status: humanamc̄ imbecillitatem, miseriamc̄ in memoriam reducit: ut de nobis, nostrisq̄ viribus despe rantes,

rantes, ad eius bonitatem, clementiamq; confugiamus. Nā quis vel  
adultus ( vt nunc ortum nostrum  
impurum omittam ) nisi incommo-  
do coactus, cœlitusq; refictus, ac de-  
nuo genitus, in hanc ardoram aspe-  
ramq; crucis viam ingreditur? Quis  
tanto Dei amore, tantaq; fiducia  
præditus est, vt vitæ presentis aefu-  
turæ securus, nihil vñquā ambigat,  
de nulla iam re sollicitus sit? Quis  
aliena commoda, & incommoda  
æquè ac sua, ne dicā plus quām sua,  
curat, & sentit? Est enim difficilis, Cic. de off.  
vt quidam verè ait, cura rerum alie- Libro. i.  
narum: quanquam Terētianus ille  
Chremes humani nihil à se alienum  
putat: sed tamen quia magis ea per-  
cipimus, atq; sentimus quæ nobis  
ipsis aut prospera, aut aduersa eue-  
niunt, quām illa quæ cæteris quæ  
quasi longo interullo interiecto vi-  
demus, aliter de illis, ac de nobis iu-  
dicamus. Verè namq; & secundū,

H natu-

naturam ille, omnes sibi bene esse  
 malle, quam alteri, dixit. Et tamen  
 hoc lex, hoc vates, hoc Dominus ip-  
 se summa severitate iubet, ut alterum  
 aequaliter ac nos ipsos amemus: Quid  
 hic dicemus? An genus humanum  
 ad interitum tantum conditum esse  
 putandum est: nosque propter natu-  
 rae nostrae infirmitatem cœlo pror-  
 sus exclusos? Nullo modo. nam huic  
 atque alijs omnibus nostris malis, De-  
 us suæ magnæ atque æternæ miseri-  
 cordiae iustitiaeque medicinam adhi-  
 buit, quemadmodum Dominus ip-  
 se dicebat. Non enim misit Deus  
 filium suum in mundum, ut mundum  
 damnet, sed ut seruetur per eum mun-  
 dus. Hinc Paulus proclamat: Con-  
 clusit enim Deus omnes in contu-  
 maciam, ut omnium misereatur.  
 Clamemus igitur cum eodem: Mi-  
 serum me, quis me ab huius mortis  
 corpore, hacque naturæ vitiestate, li-  
 berabit? Sed & illud subiungamus,  
eum

Ioan. 3.

Rom. 11.

Rom. 7.

eum à quo & per quem liberamur  
 agnoscentes: Ago, inquā, Dco gra-  
 tias per IESVM CHRISTVM  
 Dominum nostrum. Vides igitur  
 mi Cœli, vt opinor, peruersè con-  
 cludi, si quis ita dicat: Pauci per an-  
 gustam portam viamq; arctam in-  
 grediuntur; pauci igitur sunt, qui ser-  
 uantur: verum ita potius concluden-  
 dum est: Pauci viam, quæ ducit ad  
 vitam inueniunt: Igitur Dominū  
 dilatare suam gratiam, magnaq; atq;  
 ampla misericordia, vt necesse est:  
 alioqui mortalium nullus ad vitam  
 perueniret, sicut dicit Dauid: si vitia Psal. 130.  
 obseruaueris IOVA DOMINE,  
 quis sustinebit: Hic enim amplissimus  
 misericordiae Dei aperitur cā-  
 pus: cū fide & misericordia, fontes,  
 conseruat. Verum quidem est il-  
 lud: Execrabilem esse quicunq; non  
 præstiterit omnia quæ lege sancta  
 sunt: quiq; sanctus non fuerit, vt De- Galath. 5.  
 us sanctus est: Sed & illud pariter Matth. 5.  
H ij verum

116 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
verum est: CHRISTVM PRO  
IMPIIS MORTVVM ESSE,  
factumq; pro nobis execrationem,  
vt nos ab execratione legis assere-  
ret. Ita vt ijdem & execrabilis si-  
mus, & sancti: execrabilis natura,  
sancti gratia: execrabilis per Ada-  
mum, sancti & felices per CHRI-  
STVM, cui omnis gloria & impe-  
rium in omne æuum. COEL. Sit  
sit, inquam, CHRISTO DOMI-  
NO, vitæ ac salutis auctori, laus &  
honos omnis, qui sua infinita sapien-  
tia effecit, vt difficillimum locū ita  
illustraueris, explicauerisq;, vt nulla  
prorsus dubitatio relinquatur. Hic  
enim perspexi, quām aptè verum re-  
sonet vero: & contrà, quām male fal-  
sa cum veris concilientur. MAIN.  
Gaudeo, & tecum Patri lumenū gra-  
tias ago. Tu verò Cœli, si quid pre-  
terea habes, quod nostræ sententiæ  
aduersari videatur, id in mediū pro-  
feras licet, vt ante prandium hunc  
ser.

sermonem absoluamus. COEL.  
 Faciam id per quam lubens, quantū  
 memoria consequi potero: atq; ea  
 tantum proponam, quæ mihi expli-  
 catu digniora, ac difficiliora videbū-  
 tur. Quibus paucos conseruari ac  
 bearī placet, Domini parabolam ex  
 triticis semine sumptam obijciunt: in  
 qua legitur quartam modō partem Matt. 13:  
 seminum ad frugem peruenisse, reli-  
 qua omnia, varijs ex caussis corru-  
 pta interijsse. Quamobrem audire  
 aueo, quid istis respondendum sit.  
 MAIN. Hoc equidem munus bo-  
 ni & diligentis interpretis esse existi-  
 mo, ante omnia propositum, men-  
 temq; dicentis inspicere: atq; in quē  
 finem quæq; dicantur, diligenter at-  
 tendere. Quod cum in quovis ge-  
 nere sermonis, tum vel maximē in  
 Domini & magistri nostri sermoni-  
 bus & parabolis, necessarium est:  
 propterea quod non omnes, omni  
 ex parte, dicentis proposito, respon-  
 H iij dere

dere proportione, possunt: id quod  
periculum facienti constabit. Qui  
dam antiquorum id facere conati  
sunt: sed frustra, quemadmodū res  
ipsa declarat. Satis igitur illud sit,  
eoç simus contēti, si loquentis men-  
tem, propositumç, ac quod dicitur,  
scopū assequamur: in eo enim quic-  
quid doctrinæ documentiuè à di-  
cente expectandum est, continetur.  
Nam similitudo ipsa eiusç explica-  
tio, proposito & scopo subseruire, at  
ç accommodari debet: non propo-  
situm similitudini: alioqui multa ab-  
surda consequentur. Itaç in hac ip-  
sa collatione, Dominus cum omnia  
impedimenta vellet ostendere, qui-  
bus à Dei cultu ( cuius præcipua  
pars est diuinī sermonis auditus &  
conseruatio ) retrahimur & auerti-  
mur, similitudine, à seminante sum-  
pta, omnia recenset, quibus, quo mi-  
nus ad frugem feliciter perueniat se-  
men, impeditur: eaç ad diuinum se-  
men,

men, Dei scilicet sermonē accomo-  
dat. Tria autem generatim esse di-  
cit impedimenta: Diabolum, vexa-  
tiones, & sollicitudinem huius vite,  
opumque cupiditatem: ex quibus im-  
pedimentis, nemo est, qui non uno  
saltem aliquo uexetur: et tamen in te-  
rea Dei sermo reperit locum, fertque  
vberem fructum. COEL. Quo ve-  
ro in loco? MAIN. In terra bona,  
soloque fertili. COEL. Sed qui nā  
sunt hæc bona terra, si maior pars ce-  
cidit, aut ad viam, aut in saxē, aut in  
spinetum? MAIN. Eadem terra  
secundum viam, idem saxetū, idem  
que spinetum, cum cœlestis ille agri-  
cola volucres abegerit, saxa abiece-  
rit, spinas exuellerit. Quid? an non  
terra ad viam iacebat Paulus? faxe-  
tum Petrus? spinis suffocatus Mat-  
thæus, & tamen selectum instrumē-  
tum, gentiumque legatus effectus est  
Paulus, Petrus iudeorum ouiumque  
CHRISTI & agnorum pastor:  
H iiiij Apo-

Apostolus & Euangelista, Mattheus. Nihil igitur aliud illa similitudine voluit, quam qui foret cœlestis doctrinæ euentus, successusq; doce re: non autem de seruandorum numero vel copioso vel exiguo quicquam innuere: quāquam cū ab hac similitudine, tum ab ijs, quæ hanc in eodem capite sequuntur, maior seruandorum numerus, quam opinor colligi posset: quod paucitas ferè ad Iudeos respectum habeat, vt vatum prædictionibus Apostolorumq; plateris edocemur: quorum pauci, vt ante diximus, quasi regni CHRI STI, ex toto terrarum orbe colligendi seminarium, selecti, conseruatiq; fuerunt. Atq; id ex copiosissimo terræ bonæ prouentu ( fuerūt enim terra illa fertilis Apostoli, ceteriq; discipuli ) colligi potest. Itemq; ex Matth. 17. grano sinapis, quod & si minimum sit omnium seminum, ubi tamē adolevit, est olerum maximum, arbore scitq;

scitq; ita, vt in eius ramis nidificatū  
aēræ volucres veniāt. Item ex fer  
mento, quod quamvis paruum sit,  
tribus aut quatuor farinæ fatis com  
paratum, tamen in farinæ cumulum  
abditum, totum fermentat, inq; suā  
naturam commutat: quæ collatio  
nes omnes diuini sermonis virtutē  
& energiam, futuriq; regni CHRL  
STI (quod tum pusillum erat) am  
plitudinem, magnitudinemq; decla  
rant. Quòd si quis etiam diceret,  
ea similitudine nobis quatuor audi  
torum genera demonstrari, adhuc  
tamen non sequeretur, quartam tan  
tum, hoc est minorem hominū par  
tem beari. Fingamus enim centū  
auditores, quorum decē, Diabolo  
rapiente semen, inanes relinquant  
ur: rursus alij decē calamitate, ve  
xatione q; propter sermonem exor  
ta, desciscant: decem item diuitiarū  
amore infructuosi abeant: reliqui  
verò septuaginta, concepto cœlesti  
H v semine.

semine fructum ferāt, alijs centuplū, alijs sexagecuplū, alijs tricecuplū nonnē & hac ratione similitudinē omnia aptē concinēq; respondebūt & vera erit similitudo? COEL. Erīt sanē: verum enim uero, nō erūt ea ratione auditores in quatuor æquales distributī partes. MAIN. Ne Magister quidem ipse in æquales partes eos aut distribuit, aut distribuendos esse præcepit: sed hoc, aut illo modo, cadere semen dixit. Iam quæ malignitas nostra esset, benignissimū Domini verba in deteriore partē interpretari velle? Quòd si id ne in terrena quidem agricultura reperiatur, vt maior sementis pars pereat: quin potius contrarium fieri re ipsa cernimus, vt maior seminum pars ferè perueniat ad frugē. ne hōc quidem de diuina semente dici possit, quæ à liberalissima manu cœlestis agricolæ spargitur. COEL. Equidem sic faciendum esse in diuinis

nis sermonibus explicandis iudico,  
quemadmodum tu Mainarde pau-  
lò ante monuisti: ac quæ de mente  
Magistri nostri sapientissimi in illis  
parabolis attulisti, mihi omnia pro-  
pria aptaç esse omnino videntur.  
His ergo ita affectus sum, itaç illu-  
stratus, & edocitus ad similia intelli-  
genda, ut locum vnum aut alterum  
obiecisse contentus, reliquos sim  
(qui tamen paucissimi sunt) facile  
præteriturus. Venio igitur ad illum,  
per quem omnes in hanc malignā,  
parumç benignam seruandorū opī  
nionem sumus abducti: illū inquā,  
locum, quo Dominus duas collatio-  
nes, alterā de operis in vineam con-  
ductis, alteram de filij regis nuptijs  
concludit: qui locus tam clarè dicit,  
multos quidē esse vocatos, sed elec-  
tos paucos. MAIN. Recte sentis  
cum illam malignam opinionē vo-  
cas: addo etiam inuidam, aptamç  
ad animos in desperationem impel-  
len-

Mat. 20. 22

Iendos: tametsi non eius sententiae  
vitio, quæ vera, sancta, & consola-  
tionis est plena, sed eorum, qui ea  
per animi infirmitatem, atq; erro-  
rem, abusū sunt. In quam opinionē  
non incidissent, si eam legem inter-  
pretandi, cuius paulo ante mentio-  
nem fecimus, seruassent: hoc est, si  
**CHRISTI** in illis parabolis pro-  
positū, finemq; spectassent. Quod  
si in Euangelica historia obseruatū  
esset, bonam partem IESV CHRI-  
STI sermonum ad Iudæos specta-  
se videremus. Ad ipsos enim potis-  
simum erat missus, sicut ipse ait: Nō  
sum missus, nisi ad oves perditas Is-  
raeliticæ domus. Quamobrem Pau-  
lus ad Romanos scribens, CHRL-

**Matth. 15.**~~vers. 15~~**Cap. 15.**

STVM IESVM ministrum fui-  
se circuncisionis, inquit, propter  
Dei veritatem, ad ea præstāda, quæ  
majoribus fuerant promissa. Itaq;  
omni studio et cura, munere suo per-  
functus est, illis vocationis, erudien-  
dis,

dis, admonendis, eorum ægrotis sanandis, atq; innumeris diuinisq; beneficijs afficiendis, prodigijs & ostētis inter eos faciendis : pro quibus omnibus immortalibus operibus, vinculis, ac verberibus, atq; omni contumelia affectum, in crucem actum, necauerunt: quæ quidem omnia obire voluit, primum, quò sua ad illos legatione ministerioq; perfungeretur: deinde etiam quò tanti muneris fructus in omnes nationes & gentes, quæ quidem lætū huiusmodi nuncium fide acciperent, redūda ret. Neq; enim negamus CHRLSTI FILII DEI doctrinam, recte fideliterq; acceptam, omnium seculorum, ætatum, personarum, nationum esse doctrinam: verū illud volumus, sententias certis personis, temporibus, locis, accommodatas à Dominō, ad genus vniuersū, omnesq; mortales non esse trahendas. Nam nō omnia, quæ alicui à CHRISTO dicta

dicta & imperata sunt, statim ad omnes pariter, atq; eodem pertinet modo. Quod si hac de re exempla forte requiris, ecce tibi, qui à Domino petit, ut liceat abire sepultum Patrem suum: cui Dominus, sequere me, inquit, & mortuos sine suis sepelire mortuos. Nullus igitur deinceps suis mortuos sepeliendos curet. Mortuos quidem nō morabor, ubi Dei maior gloria me, aut viuorum necessitas vocabit. Dominus ihs  
**Matt. 8.**  
**Luc. 17.** quorum Elephantiasim sanauerat, iussit irent se ostēsum sacerdotibus: ergo qui à scabie aut lepra curati sunt, sacerdotibus sese inspiciendos exhibeant. Scio hinc plerosq; confessionem illam arcanam, seu potius confusionem venari: sed nimis stulte, ne dicā impiē, suis allegorijs Domini perspicuam doctrinam obscurare nituntur. Fuit illud diuinæ potentiae argumentum, & CHRISTI obedientiae perspicuum testimonium qui

qui non ad abolendam legem, sed  
implendam venerat. Erat enim id  
in lege expressum, ut sacerdotes de  
lepra iudicarent. Adolescenti præ-

dixi iti iussit Dominus venderet om  
nia quæ haberet, eaq; pauperibus  
largiretur, ac sequeretur se: Quod il  
le tametsi tum tristis factus, forsitan  
post executus est: quòd si non est re  
ipsa executus, id tamen debuit, ad  
eius, quem ipse Magistrum bonum  
appellarat, imperium. Nobis satís  
fuerit ita cōparatos affectosq; esse,  
ut pro Domini gloria, fratumq; sa  
lute, si quando vsu veniat, omnia, at  
q; adeo vitam ipsam impendamus:  
re tamen ipsa, singulare illud iussum  
vniq; certo homini factum, non est  
ad omnes generatim trahēdum: ita  
ut cuncti rei familiaris curam abiice  
re (quæ omnibus est diuinitus man  
data) omniaq; sua erogare dilargiri  
q; cogantur: non certe magis quam  
omnes filium suum Domino macta  
re de-

1. Tim. 3. 5.

Leuit. 14.

Matt. 19.

re debent, propterea quòd Deus Abraham suum mactare Isaacum iussit. Quamobrem, non si Iudæis Dominus dixit: Multos esse vocatos, paucos verò electos, continuò id ad uniuersum hominum genus, atq; ad omnia tempora est proferendum. COEL. Hoc fortasse vis, si recte intelligo, eam sententiam de Iudæis illius temporis esse dictam, ac de eis solis esse intelligendam: ex quibus multi ac potius uniuersi à vatisbus, deinde à IESV CHRISTO DOMINO fuerant vocati, sed pau ci electi, nimirum Domini Apostoli, atq; discipuli, cum mulieribus aliquot, ut sacra testatur historia. Hic namq; fuerūt exiguis ille grex, quē

**Cap. 12.** Dominus apud Lucam consolatur, inquiens: Ne formidate o parue grex: nam visum est Patri vestro vobis dare regnum. idem reliquiae ille erant, de quibus Paulus ad Romanos: similiter, inquit, hoc tempore

**Cap. 11.** super-

supersunt per gratuitam electionē reliquiæ. Idem erant illud semē, de quo ab Esaia idem Paulus: Nisi Do minus armipotens nobis semen reliquisset, idē nobis, quod Sodomæ ac Gomorræ accidisset. Quibus omnibus in locis, seruandorum paucitas eius temporis Iudeorum, nō obscurè significatur. MAIN. Hoc ipsum volo mi Cœli, recteçp tu atque aptè eos locos coniunxisti. Qui hac CHRISTI sententia ad suum propositum abuti volebant, iij parabolas omnes vigesimi capititis, item XXI. Itē XXII apud Matthēum, reiectionem Iudeorum, & Gentium euocationem continere, animaduertere debuissent. Et quidem huiusc rei indicio sunt in prima similitudine illa verba: Fremebant contra Patrem familiâs dicentes: cum hi postremi vnā modò horam in opere fuerint, tu eos nobis pares fecisti, qui diei onus ardorēçp  
I per

Rom. 9.

pertulimus. Atq; hoc quidem fecis-  
se eos, postquam Dominus reui-  
xiisset perspicuum est. Nam Paulo  
atq; alijs Apostolis, exteris Euange-  
lium prædicantibus, ægrè ferebant  
Iudæi, dicebantq; nefas esse, vt ex-  
terni homines, nationesq; in Euan-  
gelio Regnoq; Dei, ipsis, qui Dei  
antiquius sanctusq; essent populus,  
æquarētur: id quod tum Acta Apo-  
stolorum, tum ad Romanos Episto-  
la testantur. In eadem quoq; para-  
bola idem ostendunt illa alia verba:  
Aufer tuum, & abi: quæ verba reiec-  
tionem Iudæorum innuebāt. Quid  
verò clarius illa commutata senten-  
cia: Ita erunt, & vltimi primi, & pri-  
mi vltimi. Qui nam, obsecro, sunt  
vltimi facti primi, nisi alieni à Rep.  
Israelis, Iudæis in Dei Rcgno præ-  
lati: Quiuè primi facti vltimi, nisi  
Iudæi alienis ad tempus pospositi,  
donec externarum gentium intrarit  
multitudo; tumq; ipsi quoq; Israeli-

tæ seruētur, ut alibi ex Paulo docui-  
 mus. Ad hæc parabola XXI capi-  
 tis, extra omnem dubitationem est:  
 Itemq; XXII, ita clara, itaq; perspi-  
 cua, ut si prima aliquam nobis dubi-  
 tationem relinqueret, hæc prorsus  
 eam remouere deberet: præsertim  
 cum eadē ipsa sententia, Multi sunt  
 vocati, pauci electi, in huius quoq;  
 similitudinīs extremo repetatur.  
 Hanc autem similitudinem de solis  
 Iudæis à Domino propositam, quis  
 illis auditis verbis, dubitare possit.  
 Nuptiæ quidē, inquit, parate sunt:  
 sed inuitati, eis nō erant digni. Quā-  
 obrem abite in triuia, & quoscunq;  
 inueneritis vocate ad nuptias. Id  
 quidem illud est, quod Dominus di-  
 scipulis mādauit suis: vadite, inquit,  
 in totum orbem, prædicate Euange-  
 lium omnibus creatis: atq; id se fac-  
 tuos esse, Paulus & Barnabas in  
 Actis testificantur. Vobis primū  
 diuinam oportebat proponi doctri-  
Rom. 11.  
Marc. ult.  
Act. 13;

I ij nam:

nam: sed quia eam reiçitis, vosq;  
sempiterna vita indignos iudicatis,  
scitote nos ad alienas gentes cōuer-  
ti. Sic enim præcepit nobis Domi-  
nus. Confer nūc Domini Pauliq;  
sententias, & pares esse comperies.  
Dominus dicit primò, inuitatos nō  
fuisse dignos: Paulus, vos ipsi indi-  
gnos iudicatis. Dominus exite in tri-  
uia: Paulus scitote, inquit, nos ad ex-  
teros exituros: nā Dominus ita im-  
perauit. Sed iam surgamus: tempus  
enim videtur huic importuno cre-  
ditori, satisfaciendi. Ecce puer, qui  
nos vocatum venit: vocantē sequa-  
mur, ne & ipsi contumaces inuenia-  
mur. De eo quod superest ( quod  
quidem precipuum & grauissimum  
est ) pomeridiano sermone, CHRI-  
STO presente, disseremus. COEL.  
Tu quidem Mainarde, vt video, nō  
modò animi desiderio satisfacere  
vis, sed etiā corporis necessitati. En-  
sequor, vt totum hunc tecū consu-  
mam

mam diem. Nam ita fiet, vt non solum nostri propositi confirmationē audiam, verum etiam alia, quibus non minus recreabitur, aletur q̄z animus, quam corpus salubri, & necessario cibo. MAIN. Nos toto alet Deus (quæ eius infinita liberalitas est) qui omnia pascit: qui q̄z filijs suis salutem peperit, eosq; in regnum transtulit IESV  
CHRISTI FILII SVI.

Accumbamus.

I iij COEL.

*Finij 2j July 1604*

COELII SECUNDI CV-  
RIONIS DE AMPLITV-  
DINE BEATI REGNI DEI.  
LIBER SECUNDVS.



A IN A R D V S.

Hæc iucundissima cœ  
li facies nos ad hanc  
porticum inuitare,  
atq; allicere videtur  
Cœli. Nā hoc loco

libentissime vti soleo, siue quid me  
cum ipse cogito, siue lego, siue scri-  
bo. Quare si placet, h̄ic consedea-  
mus, & reliquum sermonem absol-  
uamus. COEL. Mihi verò pla-  
cket: atq; huius amoenitatem loci,  
cœli atq; solis admirabilem, simul et  
amabilem faciem, sermonisq; huius  
fructū, omnibus humanis iucundi-  
tatibus, atq; opib; libēter antepo-  
no. MAIN. Pone igitur, si quid  
audire velis: aut si quid ex superiore  
dispu-

disputatione reliquum sit, quod nō satis explicatum esse videatur. CO-  
EL. Nihil equidem supereft. nam vt ante dixi, ex illo tuo sermone, nō solum loci à me tibi ad explicandū propositi, patefacti sunt, verum etiā innumerabiles ferè alij, qui aut simili litudine cum illis coniunguntur, aut dissimilitudine ab eisdem separantur. Itaque hæc pars tota, tua est. Ego summa attentione, te de re omnium grauissima differentem auscultabo.

MAIN. Dicā, sed ea lege, ut quan docunq; tibi visum fuerit, me inter-  
pelles, & sermonis cursum ad tuum nutū voluntatemq; moderere. CO-  
EL. Id equidē faciam, si quid præ-

sertim ex tuo sermone scrupuli, for-  
tē in animū irrepserit meū. MAIN.  
Dicam igitur primum, vnde hæc de  
paucitate seruandorū, regniq; Des-  
paruitate, opinio orta sit, sensimq;  
permanarit. Deinde Regni Dei  
amplitudinē veris & perspicuis ar-

I iiii gumen-

gumentis ostendam. Príncipio, ut  
Diaboli inuidia, atq; astu, mors in  
hunc mundum intravit, sic eiusdem  
emulatione & artibus, angusta ista  
atq; inuidia opinio disseminata &  
propagata est. Videbat enim, ac  
non dubijs signis colligebat huma-  
ni generis hostis, mendacijs parēs,  
Dei Regnum in misericordia, tanq;  
in firmissimo æternoq; fundamēto,  
positum & fundatum esse: Deumq;  
per infinitam suam misericordiam,  
amplissimam Remp. numeroq; ci-  
uiū infinitū omni ratione summaq;  
sapientia paulatim colligere & cōsti-  
tuere: ideo mille semper artibus &  
dolis eam impedire conatus est, &  
conatur. Hinc primos parentes  
blandis aggressus verbis, decepit,  
atq; in casum illum luctuosum im-  
pulit: quo, nisi summa sapientia &  
bonitate Deus statim occurrisset,  
perierat prorsus humanum genus.  
Sed enim nulla calliditas nullumue-

con-

consilium aut vis valentior, quam  
sempiternum Dei decretum atq; vo-  
luntas. Itaq; processit nihilominus  
consilium Dei, atq; eius ciuitas &  
regnum inuito Diabolo amplifica-  
ri coepit ex ihs, quos ex omni æterni-  
tate designauerat: nec Dei semen vi-  
lis Sathanè potuit artibus extingui.  
Hoc animaduertens Antitheus ille  
fœcundo excusso pectore, nouas de-  
prompsit artes: ac inter cætera spar-  
gere ac sensim disseminare eam opi-  
nionem coepit inter eos, qui vulgo sa-  
piētiores habebātur: numerū, vide  
licet, honorū esse exiguū, improbo-  
rū verò infinitū. Hinc ille cātilenæ.

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus, usq;  
Aurorā & Gangem, pauci dignoscere possunt  
Verabona. Item. Iuuenal.  
Rari quippe boni, numero vix sunt totidē, quot  
Thebarum portæ, vel diuitis hostia Nili. Saty. 10.  
Idem,  
Sat. 13.

Item: stultorum infinitus est nume-  
rus, qui tamen locus perperam cita-  
tur ex Solomonis ecclesiaste, cū nō

I v Solo

Solomonis, si veram literam consul.  
<sup>Fam. epi.</sup> Ias, sed Ciceronis, & aliorum eiusdē  
<sup>Libr. 9.</sup> generis scriptorum esse cōperiatur.  
 Stultorū, inquit ille ad Petrum, ple-  
 na sunt omnia. Quæ voces ab his p-  
 fectæ sunt, qui se solos bonos, solos  
 sapientes solos beatos, existimabāt.  
 Moderatius tamen sensisse Plato in  
 Pœdone videtur, qui homines vehe-  
 menter bonos aut malos per paucos  
 esse dixit, medios vero plurimos ut ī  
 rebus omnibus, valde parua aut ma-  
 gna: celerrima & tardissima, pulcher-  
 rima, et turpissima, cādidissima & ni-  
 gerrima, ac demū in omnibus extre-  
 morū sūma rara quidē & pauca esse,  
 media vero frequentia, atq; multa,  
 Quod si illos mediocres cū his opti-  
 mis coniūgas, iā honorū numerus,  
 improborum numerum longe supe-  
 rabit. COEL. Ita est ut dicis. Ac  
 mihi quidem hic Philosophus sem-  
 per reliquis omnibus religiosior est  
 visus. Illos vero homines ego ta-  
 les

Iles fuisse puto, quales apud nos duo fuerunt: qui cum aliquando in forū conuenissent, & inter se consalutas-  
sent, vnuſ inter cetera ſic alterum al-  
loquitur: Duo, miſioannes, tantum  
boni viri in noſtro muſicipio ſunt.  
Cui ioānes, horum, inquit, tu vnuſ  
es, optime Georgi: & tu, inquit  
Georgius, alter. MAIN. Ita mu-  
tuum muli ſricant, vt dicitur. Sed  
redeo ad callidum illum, qui ſe pau-  
latim magis ac magis per mundi fa-  
pientes inſinuans, diuinam miseri-  
cordiam & bonitatē extenuare coe-  
pit, eam non eſſe tantam, quantam  
plericq; existiment. Deum eſſe qui-  
dem bonum & misericordem nega-  
ti non poſſe, ſed tamen iuſtum om-  
niumq; delictorū ſeueriſſimum vi-  
torem. Atq; ad id perſuadendum,  
duplicatione nititur, quarum alte-  
ram ſumit ex testimonijſ, alterā ex  
cauſis & signis. Testimonia ſunt,  
quæ nos ſuperiore ſermone ita de-  
clarar-

clarauimus, refutauimusq; , vt iam  
caussæ nostræ obesse nihil possint.  
Caussas verò solet veterator ille,  
opera, hominumue facta appellare.  
Has igitur tendiculas tanta arte po-  
nit & cœlat, vt in eas non incurrere  
difficillimum esse videatur. Nam,  
hinc benefactorum fiduciam, illinc  
ex malefactis desperationem tēdit:  
atq; in hunc loquitur modū: vis ne  
tu o homo, tuæ reliquorumq; mor-  
taliū salutis aut exitij veritatem co-  
gnosere: opera mortalium studiaq;  
contemplare, quæ salutis atq; interi-  
tus sunt caussæ: salutis si bona, con-  
demnationis & exitij, si mala. Iam  
ipse circumspice, atq; in omnem par-  
tem oculos cōuerte, & clare cernes,  
quām pauci sint ij, qui arctissimas,  
multiplicesq; perfectas iustitiæ par-  
tes, præceptaç; conseruent: quamq;  
sit exiguis numerus bonorum: &  
contrà, quām latè patens, quām in-  
finitus, improborum. Quamobrē,  
omni

omni procul hæsitatione remota, sic  
conclude. Si benefacta salutis caus-  
sa sunt, signaçp certissima, et malefac-  
ta exitij & calamitatis æternæ, neces-  
sariò efficitur, electorum & conser-  
uandorum numerum per quam exi-  
guum esse, condemnandorum verò  
& repudiatorum, immensum. CO  
EL. O Serpentem antiquum, ô  
belluam ex malitia & dolis aptā &  
conflatam. Vereor ne pleriqç mun-  
di sapientes ab hoc sophista instituti-  
sint, quos huiusmodi fallacias necre-  
re sæpenumero audiui. MAIN.  
Dubitast? Imo ab eo docti & institu-  
ti sunt, qui Monachorum secessus  
instituerunt & sectas, quiçp eos secu-  
ti se se à reliquis mortalibus separa-  
runt: quasi reliqui homines profani  
atçp execrabilis omnes essent, ipsi  
verò soli religiosi & sancti. Nā hæc  
opinio à Philosophis primùm orta,  
paulatí ab illis & per illos in Dei &  
CHRISTI Ecclesiam dimanauit.

CO-

**COEL.** Non dubito. Sed velim audire, quonam pacto ex huiusmodi te extricares fallacijs. **MAIN.** Primum concederem illa Deum esse iustum, itemque neminem, ne dum paucos perfecte iustitiam colere, Dei legi per omnia parere: idcirco neminem quoque aut natura, aut diuinæ iustitiae obseruatione bonum, iustum uere esse. Scitum enim est illud: Nō est qui faciat bonum, ne vnuis quidem Rom. 3. Item, nullus est bonus, nisi vnuis Deus. Verum, Deum Patrem ( quæ bonitas eius est ) tum peccata omnium nostrum, tū pœnas vniuersas in **CHRISTVM** filium suum transstulisse, vt inquit Esaias : Ipse ob peccata vitiaque nostra perceptus & contusus, pœnas pro nobis salutares dedidit: eiusque vibicibus sanati sumus. Omnes nos vt oves errauimus, suā quisque viam secuti: & Deus in eum omnium nostrum peccata coniecit. id quod Patris ipsius vox testatur, cū ait:

**Rom. 3.**

**Luc. 18.**

**Cap. 5.**

ait: Hic est filius meus charissimus,  
in quo me oblecto. Item filij, Ego  
animā meā pono pro ouibus meis.

*Matth. 3.  
Ioan. 10.*

Deinde connexi negarem antece-  
dens: diceremq; salutis cauissim, nō  
benefacta, sed Dei propositum, sem-  
piternamq; misericordiam & iusti-  
tiam fide per CHRISTVM IE-  
SVM comprehensam. Itemq; nō  
malefacta simpliciter & proximē  
condēnationis & interitus esse caus-  
sam, sed contumacem diffidentiam:  
velut Dominus dixit, à spiritu argu-  
endum esse mundum de peccato,  
quod sibi fides habita non esset. Itē,  
Paulus, diffidentia autulos esse ra-  
mos, ait. Item, Deum omnes in dif-  
fidentiam conclusisse, ut omnium et  
Iudæorum & externorum sibi post  
fidentium misereatur. Et quoniam  
fidem habeo Deo, eiusq; misericor-  
diam amplector, Dei q; lege delec-  
tor, quod ad interiorem hominem Rom. 7.  
mentemq; attinet (& si vitiosa exte-  
rioris

rioris hominis natura appetitusq;  
 repugnat ) intrepidè affeuerarē, nec  
 peccata, nec legem, nec inferorum  
 vim, nec aliud quicquam me condē  
 nare posse: ut Paulus cum aliās s̄æpe  
 tum eo loco, confirmat: Censemus  
 Rom. 3. fide iustificari hominem, inquit, nō  
 Rom. 4. legis operibus: quemadmodū Da-  
 uid quoq; hominis beatitatem in eo  
 statuit, si ei Deus iustitiam tribuat si  
 ne operibus: Beati, inquit, quorum  
 remissa delicta, quorū obducta sunt  
 peccata. Beatus homo cui non im-  
 putat Deus peccatum. Postremò  
 concluderem ex operibus apparen-  
 tibus, non posse cognosci certouē-  
 sciri, qui nā beandi sint, qui uē dam-  
 nandi: quod vel ipsos Deo charissi-  
 mos, in turpissima flagitia facinora-  
 q; prolapsos esse videamus: quos ta-  
 men post ad æternam fœlicitatem  
 euectos fuisse, non ignoramus. Itaq;  
 nihil hīc temere iudicandū esse, sed  
 alienum seruum suo Domino, siue  
 stet,

stet, siue cadat, permittēdū. COEL.  
 Probatur sane mihi hoc tuum respō  
 sum. nam & aptissimē aduersarij ca  
 ptiones dissoluīt: & firmissimē no  
 stram sententiam confirmat. Itaq;  
 & ipse post hac eodem modo, non  
 solum Diaboli tela reijsiam, sed eti  
 am hominum quorundam argumē  
 ta refutabo. MAIN. Dominus ip  
 se manus tuas sic ad certamen instru Psal. 18.  
 et, ut ferreos arcus tuis frangas lacer  
 tis. Adhuc mihi satis videor vnde  
 hæc barbara opinio emanarit, & tā  
 quam proserpserit, indicasse. Iam  
 reliquum est, ut ad nostræ huius sa  
 lutaris sententiæ confirmationē ve  
 niamus. COEL. Recte censes,  
 ne in eā reprehensionē incurramus,  
 in quam Lactantius ille Firmianus  
 incurrit: quē pleriq;  
 omnes ab Hieronymo inducti, præclare aduersa  
 riorum inuenta refutasse, sua verò  
 male confirmasse dicunt. Athi nec  
 prudentis oratoris munus quod sit,  
K nec

146 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
nec Lactantij in suis diuinarum in-  
stitutionum librīs dispositionē, satis  
perspexisse mihi videntur. Est au-  
tem oratoris officium prudentis &  
prouidi ( quod Cicero de oratore li-  
bro secundo docet ) vt si in refellen-  
do aduersario , firmior esse oratio,  
quam in confirmādis nostris rebus,  
potest : omnia in illum tela confe-  
ramus: si nostra facilius probari, quā  
illa redargui possunt, abducere ani-  
mos à contraria defēsione, vt ad no-  
stram conemur traducere. Quod  
cum ita se habeat, non mihi videtur  
vítio dandum , diuino homini atq;   
oratori christiano esse, si plus opere  
in refellendo, quam in probādo po-  
suit. Nam cauſſa nostræ Religio-  
nis ea est, quæ nō humanis argumē-  
tis, aut inuentis confirmando sit: sed  
fide, diuinoq; instinctu amplectēda.  
Ite in totum orbem, inquit summus  
Magister, prædicate Euangeliū om-  
nibus mortalibus : qui crediderit &  
ablu-


Marc. ult.

ablutus fuerit, seruabitur: qui vero  
non crediderit, condemnabitur, Pau-  
lus item, Episcopum talem esse de-  
bere ait, qui possit & sana doctrina  
cohortari, & contradicentes refelle-  
re. Neque enim aliud praeterea re-  
quiritur, quam Dei simplex ac since-  
ra doctrina, quae ihs, qui vitae sunt  
aeternae destinati, firmior est, quam  
sua Geometris principia ac demon-  
strationes. Quo fit, ut si quis falsam  
diligenter refutasse inuentus sit, is  
muneri suo satisfecisse videatur. Ne  
que tamen non confirmavit vera Reli-  
gionem Laetantius, quo modo ihs  
qui sacras literas aut ignorarent, aut  
contemnerent, confirmanda erat.  
Nam cum primis tribus libris aduer-  
sarium errores superstitionemque  
refutasset, tres alios quasi opposuit  
sequentes, quibus suscepit causam  
graueriter appositeque confirmat.  
His porro septimum adiuxit, ut ve-  
rum finem ostenderet nostrae religio-

Tit. I.

K. J. nis,

SYNODI



nis, atq; ad præmiū immortalitatis,  
 omnes inuitaret. MAIN. Quod  
 pro Lactatio dicas, verum est: quod  
 ei res erat cum ijs, qui nec sanctarū  
 autoritatem literarum agnoscebāt:  
 nec argumēta ab illis principijs duc-  
 ta, admittebant: Verum tamē, secus  
 faciendum est cum ijs aduersarijs,  
 apud quos grauis est sacrorū libro-  
 rum autoritas: ē quibus cum firmis-  
 simis argumenta, tum autoritates ad  
 fidem faciendam aptissimæ depro-  
 muntur. Nos igitur Regni Dei am-  
 plitudinem ex quatuor locis firmis-  
 simis, & clarissimis, quanta fieri po-  
 terit breuitate, demonstrabimus. Pri-  
 mum à potentia Dei, deinde à sapi-  
 entia, tum à bonitate, sive misericor-  
 dia: postremo à testimonijis diuinis.  
 Sed priusquam hæc explicare aggre-  
 dior, quoniam tua propria sunt Pa-  
 ter, te per vnigenam filium tuum IE  
 SVM CHRISTVM Dominum  
 nostrum, quem imenso quodam  
erga

erga nos amore nobis tradidisti, ora  
atq; obsecro, me spiritu tuo affles &  
repleas: ut Regni tui maiestatē atq;  
amplitudinem ostendere, tuerique  
valem, ne in te insultet, atq; effera-  
tur tuus, tuorūq; hostis, sed victus,  
omnīq; ex parte inferior, vt par est,  
ab omnībus agnoscatur. COEL.

Tecum id ipsum precor atq; opto.  
Nam video te alta spectare, & velle  
in cœlū omnino migrare. MAIN.  
Spero fore, vt contingat id nobis.  
Vt igitur à primo incipiam Cœli fra-  
ter, si concederimus imperium isti-  
us sempiterni Dei hostis maius atq;  
augustius esse: eiusuē miserā Rēp.  
ciuum numero, regno & ciuitate  
Dei ampliorem, vereor vt de creato-  
ris regisq; nostri potētia & maiesta-  
te nimium derogemus. Neq; enim  
potentia atq; amplitudo alicuius  
Imperatoris aut Regis à Thesauris,  
sive pecuniarum solum numero cer-  
nitur, sed multò magis à multitudi-

K iij ne

150 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
ne populorum, regionum, prouinciarum, nationum, gentiumq; varia rum, quibus imperet, & à quibus Dominus agnoscatur. Cur ad tantū nomen, tantamq; amplitudinem & maiestatem Populus Romanus (ut alios & Populos & Reges præterea) olim ascendit, nisi propter multitudinem et varietatem regionum, gentium, & nationum, quas sibi subiecerat, quibusq; imperitabat? Hinc rerum Domini, hinc potentes appellati. Hinc Regum, populorum, nationum portus & perfugisū dictus eorum senatus. Quid enim est Amplitudo, nisi potentiae, maiestatis, & copiarum magna abundantia? Quid item potentia, nisi ad sua conseruanda, & quæ alius occupauit, obtinenda afferendaq; idonearum rerū facultas? Quòd si à Deo copijs atq; hominum multitudine hostis non vincitur, sed vincit, Deo igitur potentior, estq; eius amplitudo

do maior. At quis vñquam ausit di-  
cere, Satanā Deo esse potētiorem?  
Opus ipso opifices infimus seruus,  
opulentissimo Domino. Cur, quæ-  
so, Rex regum, Dominorum Domi-  
nus, armipotens, bellipotens, fortis,  
victor, triūphator, augustus, solusq;  
potens gaudet appellari? CO-  
EL. Et si tuus iste perpetuæ oratio-  
nis cursus me non mediocriter affi-  
cit: neq; illum libenter impedio, ta-  
men quin te interpellem, facere ne-  
queo. Posset hīc tibi aliquis dicere,  
illud quoq; magnæ cuiusdam potē-  
tiæ argumentum esse, si maiorem  
hominum partem (cum sint omnes  
eius inimici) æternis destinet pœ-  
nis. MAIN. Hoc fortasse dici  
posset de aliquo Tyrāno, qui quoq;  
iure, quaque iniuria Dominatum su-  
um tueri & príncipatum augere ve-  
let: cuiusmodi est antiquus ille hos-  
tis. Verum de Deo, qui hominum  
condidit genus, qui ut nos seruaret,

K iij nihil

152 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
nihil reliquit intentatum, qui legitimus est Dominus, aut potius Pater, hoc nullo modo sine magna eius iniuria, dici potest. Neq; etiā illud verum est, in eo etiam principis potentiam elucere, si maiorem perdat hominum partem, paucis tantum conservatis: sed contra potius, eō maior elucet potentia, quō plures conservauerit. Atq; ut hoc facilius intelligas: finge duos esse principes, quorum alter nullo iure, nulla ex causa, sed per summam iniuriam & animi impotentiam, ad cuiuspīam populi ruinam, totis viribus conuersus esset: nec aliud cuperet quam quoscunq; posset, rapere, agere, cedere. Alter verò omnem suam curam, studium, opes, potentiam, operam poneret in eo populo, quamuis ingratto, conservando: nonne quo plures conservaret, eō potētior haberetur? COEL. Maxime verò. MAIN. Quid si maiorem partem: num ad-  
uer-

versario potentiorē censeret: CO-  
 EL. Quid nō: Et quidem clemen-  
 tiorem & potētiorem, si omnes pos-  
 set omnes conseruaret. MAIN.  
 Mihi quidem hoc non videtur: Si  
 enī ita faceret, vbi iustitia? sine qua  
 nulla virtus inueniri potest. Nam  
 ex paucorum poena & seueritate,  
 quanta sit eius in cœteris clementia,  
 facile cernitur. COEL. Fateor,  
 sed verendum est, nē dum potentio-  
 rem, clementioremq; facimus, ea-  
 dem ratione minus iustū faciamus.  
 Quod si paria hęc in' deo esse debēt,  
 par quoq; conseruandorum & dam-  
 nandorum numerus esse debebit.  
 MAIN. Non est Cœli ista æquali-  
 tas, vbi nullum aut meritum, aut de-  
 bitum est, requirenda, sed pura libe-  
 ralitas, donum, & misericordia tan-  
 tum cernitur. Iam Deus nihil pror-  
 sus cuiquam debet: quare cum ge-  
 nere hominum, vt potē suo opere,  
 atq; ad suam gloriam ficto, ei facere

Rom. 9.

K v quic-

154 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
quicquid visum est, licet: nisi quod  
cum aliorum omnium, tum vel ma-  
xime principis natura propensior  
ad clementiam & veniam esse de-  
bet, quam ad vindictam & poenam.  
Id quod Deus ipse de se in Mose in  
hunc testatur modū. IOVA IOVA  
**DEVS MISERICORS, ET EX-  
ORABILIS, AD IRAM TAR-  
DVS, AD CLEMENTIAM ET  
AVXILIVM PROPENSVS.**  
Homines autem ad Deum nullare  
propius accedunt, quam salutē ho-  
mīnibus dando: nihilq; est tam re-  
gium, tam liberale, tam munificum,  
quam opēm ferre suplicibus, excita-  
re afflīctos, dare salutem, liberare pe-  
rīculis homines: & contra, nihil est  
tam deformē, atq; abiectum, quam  
ad summum imperium, puniendi  
acerbitatem adiungere. COEL.  
Si nihil nobis debet Deus, cur apud  
Matthæum Pater ille familiās iubet  
procuratori suo, in vineam conduc-  
tis

Exod. 4.

Matt. 20.

DEI LIBER SECUNDVS. 155

tis operis mercedem soluat: Item  
ihs, qui eius caussa & nomine, contu-  
melias atq; hominum odia patiun-  
tur, CHRISTVS DOMINVS,  
Gaudete, inquit, tum, & exultate, ac  
scitote grandem vobis mercedem  
esse in cœlis. MAIN. Dominus,  
quæ est eius bonitas, mercedem præ-  
miumue id appellat, quod ipse mera  
liberalitate promittit & donat, id  
quod ex ipsius parabolæ ordine per  
spicuè cognosci potest. Exit pater-  
familiâs ad quærēdos operarios, nō  
illi ad eum, sicut dicit apud Esaiam:  
Repertus sum non quærētibus me, Rom. 10.  
conspicuus factus, me non curantib-  
us. Vocat, promittit, in vineam  
mittit suam, accersit denuò, promis-  
sum denarium dat. Alij Patris fami-  
liâs bonitatem in omnibus agnoscē-  
tes, nihil queruntur: Alij fremunt,  
atq; iniustitiæ Patrem familiâs insi-  
mulant, suas iactantes operas, ac di-  
utinos labores. His Dominus in  
huc

Matt. 5.

10.

10.

hunc satissimū modū : Amice, in-  
 quīt, non facio tibi iniuriam . nonne  
 mecum denario conuenisti ? Aufer  
 tuum, & abi . volo autem huic vlti-  
 mo tantum dare, quantum tibi . An  
 mihi meis non licet uti meo arbitra-  
 tur ? An ideo tu inuidus es, quoniam  
 ego benignus & liberalis sum ? Quid,  
 quæso , hæc omnia præ se ferunt,  
 quā Patris familiās liberalitatem ? id  
 quod facile probant illa postrema  
 verba cum ait : sibi licere uti suis suo  
 arbitratu . nam sua vocat, quæ merce-  
 dis nomine paulò ante vocarat, vt  
 intelligas, magnæ cuiusdā bonitatis  
 esse, quod sua dona, mercedis ac pre-  
 mij ornet titulo, vt nostram ad obe-  
 unda munera, excitet ignauiam . Ali-  
 oqui, nonne ipse Dominus semel  
 operibus omnib⁹ legem illis verbis

**Luc. 17.** statuit ? Vbi omnia inquit vobis  
 mādata feceritis, dícite vos inutiles  
 esse seruos, qui, quod debueritis fa-  
 cere, feceritis . COEL . Sed quid  
 de-

denarij nomine intelligi Dominus  
voluit: MAIN. Denarius est, q  
Dominus nobiscum pactus est, vi-  
ta nimirum & mors, gloria & igno-  
minia, beatitudo & calamitas. His  
quidem, qui nihil viribus suis meri-  
tisq; tribuentes, omnia à paterna be-  
nignitate clementiaq; sperant, vita,  
gloria, beatitas, proposita & promis-  
sa est. Superbis autem, sibiq; præfi-  
dentibus, ac propriam iustitiam iac-  
tantibus (cuiusmodi fuere Iudei)  
aut de clementia Dei desperantibus  
mors, ignominia, calamitas. Ete-  
nim, inquit Paulus, peccati stipen-  
dium mors est: at Dei beneficium Rom. 4.  
& donum sempiterna vita, per IE-  
SVM CHRISTVM Domínum  
nostrum. COEL. Vita igitur et  
mors, merces siue præmium dici po-  
test: MAIN. Maximè verò: illa  
ratione promissi: hæc peccati. Est  
enim medium vocabulum merces:  
idcirco tam in bonis quam in malis  
di-

dicitur. De malis ostendit, Dominus, cum de gloriosis & sua facta iā-

**Matt. 6.** ētantibus, inquit: Acceperunt mercedem suam. Et hoc est quod Pater familiās dicit quāculis illis: Aufer tuum & abi. Item Petrus, improbos

**Pet. 2.** iniustitiae mercedem, siue præmium laturos, affirmsat. COEL. Iam vi deo eius similitudinēs documentū, quam antemeridiano sermone, de Iudeorum euocatione propriē intel ligendam esse docuisti. Quare si videtur, ad institutū redeamus. **MA IN.** De Dei infinita potētia erat insti tutus sermo, ex qua Regni eius ampli tudo intelligatur. Nā si ab opibus, magnitudine copiarum, numero re gionum, varietate nationum, popu lorum, gentium, Principis æstima tur maiestas ac cernitur potentia, ne cessariō concludendum est, Regnū Dei, qui solus potens, magnus, di ues, & admirabilis verē dici potest, longe maius esse quam Diaboli re gnū

gnum, siue potius tyrannidem. Nū  
quam enim dicam principem alí-  
quem magnum aut potentem esse,  
ex hostium multitudine : sed illum  
potentem appellabo, cui multi pa-  
rent; cuius quām latissimē patet im-  
perium. Id Solomo Rex sapientis  
simus, animaduertes, in hominum  
multitudine sitam esse Regis maies-  
tatem dixit, in populi vero paucita-  
tate, occasū iperij. COEL. Negari  
hoc quidē non potest: dum ista per  
sonis & temporibus abstrahuntur:  
verum cum ea proprius inspicio, atq;  
in hominum vita moribusq; consi-  
dero, tum quid statuendum sit, pror  
sus ambigo. Neq; enim non vides  
Satanam magnam orbis partem oc-  
cupare: vt potè qui totus, vt Ioan-  
nes ait, in malo iaceat: ita ut non in-  
iuria, huius mundi princeps & Do-  
minus appelletur. MAIN. Quod  
altero sermone dicebam Cœli Secū  
de, hic quoq; repetendum est, atq;  
in

Prou. 14.

Job. 5.

Job. 12.14.

in memoriam reuocandum: nimirū  
 ex aspectu, aut ex ijs quæ sub oculos  
 Ioan. 7. cadunt, præsertim in rebus diuinis,  
 non esse iudicandum. An te fugit,  
 quod in fidei nostræ symbolo confi-  
 temur? cum dicimus: Credo vnam  
 sanctam, catholicamq; Ecclesiam,  
 hoc est communionein sanctorum:  
 quæ si oculis hisce cerneretur, atq;  
 ex aspectu cognosceretur, in fidei  
 solemní cōfessione, in qua nihil, nisi  
 à sensibus remotum auditur, posita  
 non esset. Nihil igitur te moueat,  
 si minus hoc Dei, CHRISTIq; re-  
 gnum, siue ( quod idem est ) hęc Ec-  
 clesia Resuepublica sanctorum ocu-  
 lis non tota cernitur: vt potè quæ  
 melius creditur, atq; animò conpre-  
 henditur, quam sensibus percipia-  
 tur. COEL. Sed quænam est ca-  
 ussa, cum ex hominibus constet,  
 quamobrem videri, oculisq; cerni  
 non possit? MAIN. Quoniam  
 Deus longè alia ratione regnum gu-  
 ber-

bernat atq; administrat suū, quā humana soleat ratio, quamq; veterator ille faciat. Et hīc nostri Regis infinitā licet admirari sapiētiam. Ille omnia peccatis mortibus calamitatib; replet: Deus omnia iustitia, vita, salute. Verū qua arte ad fallēdum hostē id faciat, vide. Nā sub peccato iustitiā tegit: sub morte vitam, sub cōdēnatione salutē, sub infirmitate robur, sub stultitia sapiētiam: sub cruce atq; ignomīnia gloriā. Hīc fit, ut vix aliud hāc mūdi faciē spectāti occurrat, quā peccata, mortes, variaq; malorū genera. Atq; vt poēta canit.

*Terribiles uisu forme, lethumq; laborq;  
Tum consanguineus lethi, sopor, et mala mentis  
Gaudia, mortiferumq; aduerso in limine bellum  
Ferreiq; Eumenidū thalami, et discordia demēs  
Vipereum crinem uittis innexa cruentis.*

Aeneid. 6.

Hīc totus in malo iacere mundus est dictus. Hīc Sathan mundi huius princeps meritō vocatus, quod omnia pro sua libidine, quasi nulla

L sit

sit prouidentia, versare atq; obtinere  
videatur. At non ita est, non ita est  
inquam: sed huius mundi verus &  
legitimus princeps & Dominus, is  
est, cui Pater dixit: Postula a me, &  
**Psal. 2.** tibi gentes omnes haereditatem, or-  
bis fines possessionem dabo: quiq;  
deuicta morte eiusq; autore procla-  
mavit: Omnis mihi data potestas

**Matt. 28.** est, in cœlo & in terra. COEL.

Probas mihi ista quæ dicis: atq; eò  
magis, quod fidei natura definitio-  
neq; muniuntur. est enim Fides (ut

**Ebr. 11.** à Theologis definitur) rerum quæ  
non cernuntur, firma animi compre-  
hensio. MAIN. Gaudeo te tan-  
tum profecisse, ut etiam hanc adiu-  
ues caussam. verum idem tibi, quo  
magis perspicias, similitudine ante  
oculos ponam. sumus nos in hac vi-  
ta, velut Ciuitas, quæ iure ad aliquem  
bonum principem pertineat: sed quæ  
tyrannus aliquis dura præmat serui-  
tute: velut exempli gratia, Israelitas

**Pha-**

Pharao memorabili illa cgyptiaca calamitate praemebat. Hanc si quis videat, parum ab alia differre iudicabit, quae volens & lubens palam Tyranni sequitur nutum, eiusque capessit iussa: uerum claim, cum suo vero & legitimo principe consentit. Et quam aliud nihil ei dare possit, eum saltem suspirat, eum expectat, eum cupit, seruitutis grauitatem lugens: qui si quando venerit cum potentia ad hostem profligandum, ciuitatemque asserendam, tunc verò sentiet Tyrannus, quantum populi fides erga suum benignum & legitimum principem valeat. Cum enim antea se multos habere subiectos crederet, reipsa tandem se multos inimicos habuisse copieret. Verum enim est illud antiquum: QVOT QVIS HABET SERVOS, EVM TOT INIMICOS HABERE. Quid: An non omnes peccato & vanitatibus subiecti atque mancipatis sumus, vel inuiti? Ac

L ij præ-

preclarè nobiscum agitur, dum cum  
Rom. 3. Paulo dicere possumus: Ego idem,  
& mēte seruio legi Dei, & corpore  
legi peccati. Adde etiam quod erro  
re & ignorantia, quæ ferè excusatio  
nem, & veniam habet, multi multa  
commitunt, non proposito ac mali  
tia. At veniet Rex noster CHRI  
STVS IESVS, cum maiestate  
ac potentia ad vltimam cum Diabo  
lo & morte pugnandam pugnam:  
tunc verò infinita illa cœlestium ci  
vium Deicꝝ electorum multitudo  
cernetur. Nunc cerni non possunt,  
quoniam signa quedam Tyrāni fer  
re aut vi aut ignorantia ( vt dixi ) co  
guntur. Interea tamen dum dies il  
la expectatur, sapiens ac prudēs no  
ster Rex cum suis clādestina habet  
colloquia: eosqꝫ solatur, et hortatur  
in fide perseuerent: affirmans se hāc  
fidem, hocqꝫ sui desiderium & cona  
tum perfectæ obedientiæ loco acci  
pere. Et quamquam nos liberare  
pos.

possit, differt tamen, atq; ita exerce-  
ri affligi q; sinit, quod magis ac magis  
sui aduentus in nobis desiderium ac-  
cendat. Atq; haec illa sunt stratage-  
mata: haec nostri diuini Regis artes,  
quibus non modo humanum iudici-  
um fallitur, veruetiam Sathanae elu-  
duntur fraudes. Quis enim unquam  
diceret, in tot peccatis aliquid subes-  
se iustitiae? in tanta rerum perturba-  
tione, esse aliquam quietem? in  
tot stultitijs, elucere aliquid sapien-  
tiae? in tanta seruitute, esse aliquid li-  
bertatis? in tot periculis, aliquam sa-  
lutem contineri? Quis obsecro un-  
quam cogitasset, latronem omni sce-  
lere coopertum, in crucē ob sua ma-  
leficia sublatū, vnum ex Dei electis  
ac filijs esse? Et contrā, quis Iudam  
Iscariotem in Apostolorum collegi-  
um cooptatum, veritatis cœlestisq;  
sapiencie continuum auditorem, in-  
ter primos regni Dei ciues esse non  
existimasset? O altam Dei sapien-

Rom. II.

L iiij tiā:

166 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
tiam? quam penitus recondita eius  
iudicia? quā abstulæ sunt rationes?  
quam occultæ viæ? Hæ sunt nouæ  
vincendi, regniq; administrandi ar-  
tes. Hoc Dei solius est, regisq; no-  
stri, qui solus est sapiens, solus potēs  
solus bonus. Magnus est Domi-

Psal. 147. nus noster, inquit Vates, immensaæ  
potentiaæ, infinitaæq; sapientiaæ. CO  
EL. Hoc ipso humano iudicio ma-  
gnum illum vatem Eliam reor fuisse  
deceptum, cum se solum ex Dei cul-  
toribus, esse relictum quæreretur.

Rom. 11. Verum quid ei dicit oraculum? Mi-  
hi reliqua feci septem hominum mil-  
lia, qui Baali genua non curuauere.  
MAIN. Recte censes: qui si tot  
vno in loco, vnaq; gente erant, ne  
vati quidem noti ( quamquam cer-  
to ac definito numero, infinita mul-  
titudo significatur ) quot creden-  
dum est, & tum in toto terrarum or-  
be fuisse, & hodie quoq; esse? CO  
EL. Equidem innumerabiles ar-  
bitror

bitror. MAIN. Credamus igitur  
diuinum hunc regem nostrum &  
posse & scire sibi amplius regnum,  
maioresq; colligere ac constituere  
ciuitatem, quam hostis qui nec viri-  
bus, nec sapientia ( quae nulla in eo  
sunt ) cum hoc nostro vlla est ex par-  
te comparandus. Quæres si à no-  
bis non creditur, per nos nimium  
non imperij Romani, sed diuini &  
Christiani maiestas imminuitur.  
COEL. Reliqua assentior : sed  
quod ab hoste sapientiam & fortitu-  
dinem remoues, id eius nomini re-  
pugnare mihi videtur. Dæmonas  
enim ob sapientiæ prudentiæ & ac  
fortitudinis magnitudinem, à vete-  
ribus appellatos esse minime igno-  
ras. Plato enim Hesiodum, aliosq;  
veteres poetas secutus, Dæmonas,  
quasi daimonas vocatos censet, hoc  
est prudentes & scientes. non melia-  
tet Græcorum alios à daimeno, id-  
est exterreo, & pauefacio, Dæmo-

L iiii nis

168 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
nis nomen deducere: quod fortitudi-  
do malitia armata, formidabilis sit.  
Verum quod ad virtutem potentia-  
mīcē attinet, verior eorum mihi vi-  
detur sententia, qui ab ebraeo dedu-  
cunt. Sunt enim multa Græcorum  
vocabula ab ebraica lingua deflexa.  
Schadaim Ebræi, tum Deos, tum  
Dæmonas dicunt. Græci igitur illi  
vetustiores reiecta prima verbi con-  
sonante, & sine vocalibus punctis,  
legentes, Daim fecisse, deinde Dæ-  
monas, videntur. Nam dipton-  
gos, veteres Græci latiniq; non ut  
nos, confusos, aut potius nullos sed  
distinctis vocalibus, pronūciabant.  
Significat autem id nomen, robur  
fortitudinē, ac potentiam. Et quam  
uis Schadaim vnum sit ex Dei om-  
nipotentis nominibus, tamē ut Elo-  
him Dei fortis appellatio, cum Ge-  
nījs ac principibus viris communi-  
catur, sic illud nomen Dæmonibus,  
quasi superioribus potestatib; attri-  
butū

butum est. Et si enim unus est Rex omnipotens, Deus noster, Dæmonas tamen Paulus cosmocratoras, id est mundanos principes appellat. MAIN. Eruditè tu quidem de Dæmonū appellatione differis: que quidem à me non refelluntur. Nam & robore plurimum valent, ut potè animalis infaticabilisq; naturæ: & multarū vsus rerum ac negotiorū in numerabilia eos p tot mundi etates & sæcula, docere potuit. VĒTV-  
STAS ENIM OMNIBVS IN REBUS LONGINQVA OB-  
SERVATIONE, INCREDIBI  
LEM SCIENTIAM SOLET  
AFFERRE. Verum enimvero, Jacob. 3.  
cum duo sint genera sapientiæ, toti-  
demq; fortitudinis: siue virtutis:  
vnū cœlestis, diuinæ, & sanctæ, alte-  
rum terrestris, humanæ, & dæmoni-  
acæ: illa non propriè verèq; sapien-  
tia, sed malitia, hoc est versuta & fal-  
lax nocendi ratio: hæc vero nō for-

L v titu-

titudo, sed audacia : non potentia,  
sed impotentia, violentiaq; , appelle-  
landa est. Nam, quemadmodum  
animus paratus ad periculum: si sua  
cupiditate, non vtilitate cōmuni im-  
pellitur, audaciæ potius nomen ha-  
bet, quam virtutis : sic sciētia, ac pru-  
dentia, sine charitate, ac iustitia, ma-  
litia, & caliditas potius ut Plato ait,  
quam sapientia aut prudentia est di-  
cenda. Itaç cum Deus sua infinita  
sapiētia dæmonem vincit & frustra-  
tur, non recte ac propriè dicitur, sapi-  
entia Dei, dæmonis vinci sapien-  
sap. 7. tiam: sed vt ait sapiēs, malitiam vin-  
ci sapientia. Item, cum de fortitudi-  
ne agitur, dicendum est, audaciam  
virtute furorem fortitudine, temeri-  
tatem consilio, superari. COEL.  
Nihil verius aut proprium magis di-  
cipoteſt. MAIN. Ergo cum iam  
de potentia, & sapientia omnipotē-  
tis & sapientissimi Dei aliquid dixe-  
rimus, quid de clementissimi Patris  
bo-

bonitate, clementia, misericordia quæ dicemus: quæ tanta est, ut ex omni parte se se effundat, ac tanquam exuberantissimum flumen, ac potius oceanus, omnem circumquaque aliquens terram, in omnia redundet. recte enim Seneca clementiam nullis extremitatibus, nullisue finibus coeret, vnam ei obiciens contrariamq; statuens, iracundiam crudelitatem in puniendo, vindictamq; sumenda, cum illa lenitatem semper spectet, ignoscendiq; facilitatem. Hic ego vocem amitto: atq; ad magnitudinem copiamq; rerum, quæ sese offrunt, obstupesco. In omnibus sanctis literis nulla re eum ditionem & opulentiorum inuenio, quam bonitate, gratia, & misericordia ab hac prædicari, ab haclaudari, atq; in immensum efferrí gaudet: hac vna se totum quantus quantus est, aperit, exprimit, communicat. Misericordia Dei, inquit David, plenus est

*Lib. 2. de  
Clemen.*

*Psal. 33:*  
ter-

172 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
terrarum orbis: Item tam immen-  
sa præditus es clementia Deus, vt  
hominum genus in alarum tuarum  
umbra fiduciam habeat. Quid Apo-  
stolorum, Euangelistarumq; testi-  
monia commemorem? in quorum  
scriptis sanctissimis nullum est ver-  
bum, quod Dei non contineat præ-  
dicetq; clementiam? Pro omnibus  
loquatur Paulus, qui se misericor-  
diam consecutum toties prædicat.  
*Ephes. 2.* Vos quidem, inquit, mortui fuistis  
delictis & peccatis, in quibus, vt est  
huius mundi vita estis aliquando ver-  
sati, ad principis aëreæ potestatis ar-  
bitrum, videlicet sp̄ritus, qui nunc  
in contumacib; viget hominib;. In ihsdē peccatis nos quoq; omnes  
versati sumus aliquando, in nostri  
corporis cupiditatib; appetitui,  
deiiderijsq; eius obsequentes: fui-  
musq; natura digni supplicio, sicut  
& cæteri. Verum DEVS MISE-  
RICORDIA DIVES, tanta nos  
cha-

charitate cōplexus est, vt cum delíc-  
tis essemus mortui, reuocauerit nos  
in vitā vnā cū CHRISTO ( gratia  
cōseruati estis ) simulq; suscitauerit,  
atq; in cœlestib; p IESVM CHRI-  
STVM collocauerit, vt ostendat in  
futuris sēculis suam tam prēdiuitem  
gratiam, qua p sua benignitate vſus  
in nos est in CHRISTO IESV.  
nam gratia conseruati estis per fidē,  
idq; non ex vobis: Dei dono, non  
ex factis, ne quis se iactet. Eius enī  
sumus opus, conditi in CHRIS-  
TVM IESVM ad benefacta,  
quę Deus preparauerat vt in eis uer-  
faremur. Hic vides quām magni-  
ficis verbis, & quoties sanctus Apo-  
stolus Dei Patris & Regis nostri cle-  
mentiam, bonitatē, gratiam depræ-  
dicet: quāmq; nihil nostris benefac-  
tis, nihil meritis, sed diuinę æternæ  
q; misericordię, charitati, atq; elec-  
ti-  
oni, omnia accepta referat: quarum  
diuitem atq; opulentum facit. At  
vbi

vbi hę tantę diuitię atq; opes erunt,  
si paucis conscriutis, reliquos om̄i-  
nes æternis destinat poenit. CO-  
EL. Magnifica equidem esse fate-  
or, quæ de Dei misericordia in diui-  
nis leguntur oraculis: quæ quidem  
melius nō pridem recognoui, cum  
meus Horatius orationem Marsilij  
Andreasij Mantuani de amplitudi-  
ne misericordiæ Dei ex Italico vul-  
gari sermone in latinum conuerte-  
ret. Eius enim lectione sic affectus  
ac delinitus sum, atq; in bonitatis di-  
uinæ admirationem raptus, vt par-  
tim humanæ recordatione miseriæ,  
partim sancto quodam gaudio, in la-  
chrimas totus penè soluerer. Sed  
qui non tantopere hac diuinā miser-  
icordia afficiuntur, aiunt, non mi-  
nus Dei bonitatē ac misericordi-  
am in vno conseruato, quam si om̄i-  
nes conseruaret, elucidere: quòd ei,  
quem seruat, propter infinitum pec-  
catū, infinita poena debeatur, quam  
Deus

Deus infinita tollat misericordia.  
 MAIN. Hæc sunt hominum commenta & inuenta, qui semper res abditas atq; diuinis, humani iudicij regula metiri, easq; tanquam Homerii Illiada, in exiguum nucem includere, quas vix terre coeliq; capit immensitas voluerunt. Verum fac ditissimum aliquem, atq; omnib; muneribus bonisq; externis circumflu entem in hac vrbe esse: eumq; cum uno aliquo, aut cum paucis tantum ea communicare: fac vel in eos omnia effundere, cæteris omnibus contemptis, atq; in sua egestate perire relictis, hunc ne tam benignum & liberalem existimares, ac si omnibus æquè, cum omnibus posset, subueniret. COEL. Nullo prorsus modo: quin potius crudelē, ac propemodum homicidam huiusmodi hominem iudicare. verè enim ille dixit: SI QVEM VIDISTI EGE STATE PERIRE, NEC SVB-

ueni-

VENISTI, CVM POSSES,  
OCCIDISTI. Verum id de Deo  
dici sine scelere non potest, ut potè  
cui, quod vult, liceat. cuius volun-  
tas summa sit, ac perfecta ratio. MA-  
IN. Rectè colligis. Sed nunquid  
illud etiam nosti, quod iam factum  
est tritū sermone proverbium: BO-  
NVM QVOD EST, EIVS ES-  
SE NATVRAE, VT COM-  
MVNICARI AC DIFFVNDI  
**GAVDEAT MAXIME:** nam  
ut flumina, quò longius fluunt, eò  
fiunt auctiora: sic bonum commu-  
nicando crescit quodāmodo, ita ut  
maiis subinde fieri videatur. CO-  
EL. Audīui id quidem sēpissimè,  
sed philosophicū putauī. MAIN.  
Imo diuinum. verum enim à quo-  
cunq; dicitur, à Deo est, qui solus  
verus & bonus est natura: siue is sit  
Moses, siue Plato, siue Paulus, siue  
Cicero. Quoniam verò aīs, Deo  
quicquid velit, id & ius & fas esse:  
quo-

quoniamq; bonitate ac misericordia diues appellari vult, efficitur, vt  
 in quamplurimos, nō autem in paucos suam velit bonitatem clementiamq; effundere: alioqui cur David  
 canit, Dei bonitate terram esse refer tam: Cur misericordiae pater, & omnis consolationis Deus vult appelliari: ô intuidos nos, qui tantum bonum paucorum duntaxat, communem esse velimus? Ingratos, qui ex tam benigno ac munifico patre, Euclionem quendam, siue potius Tyrannum immanissimum facere con nemur? Aliquis forsitan verbis diffidat, ac signū aut pignus aliquod certum atq; indubitatū cupiat: ECCE SIGNVM OMNIVM CLARIS SIMVM, PIGNVSQVE OMNIVM CERTISSIMVM ET MAXIMVM, IESVM CHRIS TVM FILIVM DEI, in quo Deus suum erga nos amorem declarauit: Hunc enim misit in mundū, in hunc

M om-

**Esa. 53.** omnia scelera nostra coniecit: Hunc morti tradidit, ut nos per eum viueremus: Hoc signum extulit Domi

**I. Ioan. 4.** nus in monte: ad hoc concurrent, omnes gentes. Dabit ipse vobis

**Esa. 11.** Dominus signum, inquit Esaias, Ec

**Cap. 7.** ce puella prægnās filiū pariet, quem nomine vocabit Emanuelem. Hoc est illud signum de quo legitur: Praua adulterinaq; natio signum querit

**Matt. 12.** & signum ei non dabitur nisi Ionæ vatis signum: nimirum **CHRISTI MORS**, atque eiusdem ad vitam tertia die reuocatio. Quoniam maiore, aut certiore signo potuit Deus suum erga nos amorem, suamq; bonitatem, testari, quām nobis ac pro nobis filium suum unicum tradere? Et quisquā de huius bonitatis, amoris, clementiæ amplitudine dubitat? Quomodo autem vnā cum san-

**Ephes. 3.** Etis omnibus comprehendere, cognoscereq; valebimus, quanta sit longitudo, latitudo, altitudo ac sublimi-

tas: Quamquam omnem intelligē-  
tiam superet CHRISTI erga nos  
charitas: Maximā esse oportet CH-  
RISTI charitatem, non modò prop-  
ter magnitudinem peccatorum, ve-  
rum etiam propter fontium multitu-  
dinem: alioqui suis illa proprijs di-  
mensionibus, iustaç⁹ magitudine  
diminuetur. Et quis vnquam dice-  
re ausit, tanti amoris, tantę bonitatis  
tantiç⁹ præcij fructum, in paucos  
dumtaxat redundare? Evidem nō  
sine ingenti sacrilegio, me id posse  
dicere non putarem. Quid: cum  
in cruce patrem pro Iudeis atç⁹ alie-  
nigenis à quibus in crucē actus fue-  
rat orauit, an non maiorem orbis ter-  
ræ partem à scelere liberauit? Ignor-  
sce, inquit, eis pater: nesciunt enim  
quid faciant. Et verè quidem ait,  
nesciunt quid faciant: nam si cogno-  
uissent, ut Paulus inquit, nunç⁹ glo-  
riæ dominum crucifixissent. Iam si  
principes atç⁹ magistratus, aliijç⁹ in

M ij ea

1. Cor. 2.

180 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI

ea ciuitate permulti, per imprudē-  
tiam CHRISTVM occiderunt,

**Cap. 3.** quod etiam in actis testatur Petrus:  
quid de reliquis in toto terrarum or-  
be, omniq; ætate dicemus? qui plu-  
res, ac iustiores ignorationis caussas  
habuerūt, atq; hodie quoq; habēt:  
omnes uè ab hoc Dei regno exclu-  
demus? haud equidem, si Dei natu-  
ram bonitatemq; contēplabimur: si  
**CHRISTI DOMINI** clementiā  
postulataq; attendemus. pro omni-  
bus enim per imprudētiā infirmi-  
tatemq; peccantibus orauit: Neq;  
frustra orauit. Paul⁹ quidē cū prius

**I. Tim. 1.** esset in Deū maledicus, & infestus,  
& contumeliosus, se veniā & miseri-  
cordiā inuenisse ait, quod ignarus fe-  
cisset, expers fidei. Et addit: Certa-  
res est, et omni approbatione digna  
**CHRISTVM IESVM** in mun-  
dum venisse, seruatum fontes: quo-  
rum vel primus ego sum. Verum  
ideo mihi tributa misericordia est,

vt

vt in me in prīmis exerceret IE-  
SVS CHRISTVS summam cle-  
mentiam, ad eorum exemplum, qui  
ei fidem ad vitam æternam, essent  
habituri. An non idipsum quoq;  
antea Deus Iona vati demonstrau-  
rat? Nam cum ille Deum Niniuitis  
ignouisse, & cucurbitā qua ab estu  
defendebatur exaruisse, moleste fer-  
ret: Ergo tu inquit, Deus, cucurbi-  
tæ caussa mouearis, quam nec elabo-  
rasti, nec auxisti, que vna nocte orta  
vna nocte perijt: ego non mouear-  
ob Niniuen tantam urbem, in qua  
sunt plusquam centum viginti ho-  
minum millia, qui à sinistra dexterā  
suam dignoscere nō norunt, & tam  
multa pecora: Hic perspicue vide-  
mus Deum clementissimum multi-  
tudini, propter simplicem ignorati-  
onem, parcere, ac seueritatis suæ pre-  
sentem poenam condonare. Et exi-  
stimabimus nos, qui ob impruden-  
tiam, multam præsentem remittit,

M iij non

non remissurum æternam, aut eum  
minoris animi mortem, quam cor-  
poris æstimare. Habet igitur, habet  
ignoratio iustum excusationē: præ-  
sertim si nulla fraus, nullaq; subsit  
malitia. COEL. Hæc quidem  
vera esse, non negant: sed aiunt po-  
testate, siue virtute, non pro multis  
tantum, verum etiam pro cunctis  
mortalibus, datum & mortuum esse  
**CHRISTVM DOMINVM:**  
sed re ipsa & fructu pro paucis: q  
pauci sint, qui tam salutarem fru-  
ctum expectant, quiq; se faciant di-  
gnos ad illum incomparabilem the-  
saurum accipiendum. Itaq;, non  
eum qui omnibus liberaliter offert,  
sed eos in culpa esse, qui aspernen-  
tur. MAIN. O quot in tam pau-  
cis verbis errores continentur: Ut  
enim Epicurus, ne in offenditionem  
Atheniensium caderet, verbis relin-  
quebat Deos, retollebat: sic isti ver-  
bo quidem CHRISTI mortem con-

fitentur, re autem negant. Nam  
 cum Deos esse aperte negare Epicu-  
 rei non auderent, quod proximum  
 & cum Dei natura coniunctum est  
 negabant, eius nimirum prouiden-  
 tiā, ac rerum omnium procuratio-  
 nem. Ita Deum nihilominus nega-  
 bant: verum aliquanto tectius ac  
 modestius. An non idem faciunt  
 isti, dum mortuum quidem pro om-  
 nibus CHRISTVM esse aiunt, sed  
 interim ad paucissimos, nescio quos  
 eius mortis fructum manare? Quid  
 hoc est aliud, quām negare virtutem  
 esse? dicereq; homines energiam,  
 vim, atq; effectum diuinæ Charita-  
 tis CHRISTIQVE SANGVIN-  
 IS abolere, aut impedire posse? Nō  
 ita, non inquam ita Paulus, ille qui  
 tanta copia & grauitate asseuerat  
 nullam esse vim, quæ nos à Dei er-  
 ga nos amore possit auellere, quem  
 in CHRISTO IESV Domino nos  
 tro patefecit: Quis, inquit, Dei elec-

Rom. 8:

M. iij. tos.

184 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
tos accuset: Deus est qui absoluīt:  
quiſ est qui dāmnet: CHRISTVS  
est, qui mortuus est, vel potius qui  
resurrexit, qui etiam est ad Dei dex-  
teram, & pro nobis supplicat. Quis  
igitur nos diuellet à charitatē Dei:  
Qui re ipsa pro paucis tantum mor-  
tuūm esse CHRISVM aiunt, perin-  
de faciūt, atq; ſi quiſ magnificenſis-  
simum acregale conuiuūm in pub-  
lico appararet, quaſi maiorem ciui-  
ūm partem adhibituruſ: mox vbi  
eſſet diſcumbendūm, paucissimos  
adhiberet. an non dici iure poſſet,  
quorūm tantus apparatus: Partu-  
rient montes. COEL. Quis hoc  
neget: Quid enim opus eſt oſtentā-  
re, atq; in medium proferre, quod  
dare noſſis: MAIN. At ſecus lō  
gē Dominus nobiscum agit.. Nam  
cum ad ſuam illam coēnam quidam  
venire recuſarent: Egredere inquit  
ſeruo ſuo, per vrbis forā, & viſos ac  
pauperes, mutilos, claudos, & cœ-  
cos

Luc. 14.

Mifori  
cordia  
diuina  
mag  
nudo

cos hoc introducito. Cumq; hoc factum esset, superesset verò etiam locus, tum Dominus: Proficissere, inquit, in vias & septa, atq; intrare coge, ut domus mea compleatur.

**COEL.** O admirandam Domini benignitatem: cui haud satis est inuitasse, nisi cogat etiam ad bona sua fruenda? Sed quomodo cogit? nā hoc verbū dūiusculum videri possit: præsertim cum Dominus contra sentire videatur, ut qui dixerit, Regnum cœlestē vim pati, & à violentis rapi.

**MAIN.** Primum violēntos intelligere possumus, qui se ip̄i abnegant, & auerfantur: qui effrenatas libidines suas & appetitus, omnesq; animi turbidos motus prohibere, & necare quodammodo student: qui cōtra corporis ingenium, spiritus CHRISTI seqūitur instinc-  
tum: & regnum Dei omnibus quæ mundus hichabet, anteponit. Qui me vult sequi, inquit Rex ipse, abne-

Matth. II.

v

*verē violet  
regnum Dei  
irrup̄t̄les*

M v get

get ille se, suamq; tollat crucem &  
me sequatur neq; enim, nisi prius su-  
peratis & suppeditatis nobis, regnū  
D. i capessere datur. quod qui facit,  
is victor victorū elucet, vt Platonis  
verbis utar: sibiq; maiore vim affert,  
quam qui munitissimas arces, ma-  
gnasq; vrbes & regna expugnare  
potuit. Verē enim Lyricus poeta:

*Latius regnes audum domando  
spiritum, quam si Lybiam remotis  
Gadibus iungas: & uterq; Poenus  
seruiat uni.*

Deide, tūc dicitur Deus cogere, cū  
ex filijs iræ, Dei efficit filios: & suap-  
tē natura in orcū ruētes, diuino cōta-  
ctu atq; attractu amorisq; osculo ad  
se cōuersos, in cœlū tollit. Hoc mo-  
do Paulus præceps dū rueret, ac Do-  
minū ipsum diris exagitaret modis  
in tertium usq; cœlum raptus fuit.  
Hanc quoq; vim patiebātur, ipsiq;  
vicissim Regno Dei, cœlesti impul-  
si spiritu vim inferebant, qui magno  
con-

concursu ab Ioannis prædicatione ad CHRISTVM vsq; ad illud capessendum contendebant. Nihil enim aliud illis verbis Dominus voluit, nisi vehemens quoddam ad currentis in hoc Regnum multitudinis desiderium significare. Id autem imagine vrbis alicuius expugnatae demonstrauit: in quam certatim intrare milites contendant. De quo si quis dubitet, is Lucæ testimonio confirmari poterit, q; que CHRISTVS de Ioanne regno q; Dei diceret, exponens: Hoc autem, inquit, populus & publicani audito, Ioannis baptismo loti, Deum collaudarūt. Facit autem Deus nobiscum, similiter atq; tu, cum Cœliolis tuis interdum facis. nam vidi ego te pomum aureolum altius paulo suspendere: puer ostētare, tanq; conatus virtutis q; prēmium: ad capiendum inuitare, atq; allicere, ad quod cum nullo modo posset pertingere, tu puerū manibus

Luc. 7.

188 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
nibus sublatum ad malum admoue-  
re: ille gestire, captare, & tandem  
cum triumpho rapere: quo facto, tu  
quasi grande aliquid fecisset, accla-  
mare, eius virtutem laudare: Macte  
noua virtuta puer, sic itur ad astra:  
ut pater ille apud Poetam filio dice-  
bat. Age quæso, quid h̄ic puer ipse  
egit? Tu pomum proposuisti: tu il-  
lum ad capiendum incitasti: tu eum  
ut posset extulisti: ac tantum nō ma-  
llum in eius manum tradidisti: & ta-  
men quasi ille omnia fecisset, & sua  
virtute consecutus esset, laudasti:  
Deus tamen præter hæc omnia ali-  
quid maius nobiscum facit: quod  
non modò proponit, inuitat, allicit,  
extollit, verum etiam ut id bonum  
quod nobis proponit, velimus, cu-  
piamus, amemus, interiore spiritu  
sui instinctu suauiter cogit. COEL.  
O suauem & beatam vim! Quin &  
nos cum ijsdem Deum laudamus,  
& cum Paulo agimus Patri gratias,  
qui

qui nos idoneos reddidit ad partici-  
pandam sanctorum sortem in luce :  
qui nos ex tenebrarū potestate vin-  
dicatos, trāstulit in regnum sui cha-  
rissimi filij. MAIN. Id quidem  
debemus Cœli: sed quis dignas pos-  
sit: Domum vult liberalissimus Pa-  
ter impleri suam, verum quām am-  
plam hanc domum esse putemus:  
Quām ampla est eius bonitas: quām  
capax est charitas: quām latē pa-  
tet misericordia atc̄ clementia: in  
quibus nec numerus, nec mensura  
reperitur. Quæ quoniam multo-  
rum, non paucorum tantum est ca-  
pax, idcirco dixit: In Patris mei do-  
mo loca multa sunt. Confer igi-  
tur horum & Domini sententias:  
Isti volunt nos vim posse afferre di-  
uinæ virtuti: Dominus ait, nos ad in-  
trandum compelli. Isti non quidē  
domum esse angustam, & paruam  
aiunt, sed dimidia plus parte vacuā  
futuram: Dominus eā impleri velle,  
tes-

testatur, ita ut potius angustior futu  
rus sit locus, vt Esaias ait. Iam ipse  
**Esa. 49.** cogita, vtri maior habenda sit fides,  
homini an Deo : hoc est, mendacio  
ne, an ipsi sempiternæ veritati .  
COEL. Quis dubitet s' cum sic

**Rom. 13.** Deus verax , omnis autem homo  
mendax. MAIN. Quid autem  
non fecit? Rex hic noster: quam aut  
sapientiæ, aut bonitatis partem omi  
sit, qua regnum aliquod amplificari  
dilatariq; possit, Moses quidem Is  
raelitarum imperator, iussu Dei tria

**Num. 35.** perfugij opida cis Iordanē amnem,  
& totidem vltra constituerat, quo  
vici, qui per imprudētiā aliquē  
percussissent, aut occidissent, confu  
gerent. Romulus asylum aperuit,  
perfugij ac salutis locum, cuicunq;  
eò peruenire posset: qua re ea initia  
& fundamenta sui regni iecit, vt cū  
prius nullum esset, in eam magnitu  
dinē creuerit, vt omnium maximū  
haberetur; quod quidē mirum non  
est,

est. nam, quis audito nomine libertatis ac salutis, non commoueatur: libenterq; nō eò adcurrat, ubi ea ostētatur atq; proponitur: Idem Moses annum quinquagesimum libertati copieq; consecrauit: ut videlicet, quinquagesimo quoq; anno captiui è vinculis emitterentur: serui in libertatem vindicarentur: nouæ tabulæ instituerentur: possessiones ad veteres dominos postliminio redirent: messis, vindemiaq; communis ac popularis esset: atq; omnium eo anno immunitas quiesq; esset. Hunc annum, clangore tubarum edicendū & euulgandum instituit, & imperauit: ex quo Iubile siue à tubis ipsis & arietinis cornibus quibus euulgabatur: siue ab omnium rerum copia appellatus est: quem nos secularem, liberalem, & popularem dicere possumus. Quid: an non & hoc sapientiae ac bonitatis munus vidit, atq; obijt Deus? Misit

Leuit. 4.

Luc. 25.

enim

enim CHRISTVM seu poti⁹ ipse  
met in CHRISTO DOMINO  
venit, ad hoc Asylum, hancq; perfu-  
gij, libertatis, ac salutis arcē, & aram  
constitūēdam ac patefaciendam, ad  
hunc propicium faustum, & popu-  
larem annum edicendum. Qua ve-  
rò id conditione, ac ratione fecerit,  
si vtrumq; contenderimus, intelle-  
ctu facile erit. Ad illa perfugia &  
ad illū annum pedib⁹ ac toto corpo-  
re, & tempore, confugientū erat: ac  
sæpè prius quis, aut capiebatur, aut  
necabatur, quām eō posset euadere.  
Ad hoc autem animo & fide since-  
ra, si aliter nequeas, si peruereris, sa-  
tis est. Illa certo, ac definito loco,  
& annorum numero fuerunt: hoc  
in quauis orbis parte, atq; vbi cunq;  
quisq; est, & quo uis tempore, inue-  
nitur. Illa omnium mortaliū capa-  
cia esse non poterat: atq; vnius ferē  
gentis fuere: hoc infinitam hominū  
multitudinem capit: omniumq; est  
mor-

mortalium cōmune. In illis corpus modō seruabatur, externaçp affluebant bona: in hoc totus homo immortalitate, æternaçp libertate, ac bonis cœlestibus donatur. In illis pauci meliores siebant: sed si improbi eò perueniebant, improbi manebant: in hoc, omnes simulatçp eò ingrediuntur, haud aliter, ac si denuo gignerentur ac nascerentur, in alios viros commutantur. Nam noster hic Rex, qui nobis locum & tēpus salutis perfugijç aperuit, nō modō nos, meritis liberat pœnis, verum etiam iustos, sanctos, & innocentes facit. Deniqz, qui ad Mose perfugia, aut Romuli Asylum configiebat, aut ad annum illum secularem perueniebat: liber à præteritis quidem malis erat, mutabatçp Dominum: at non omnino seruitutem effugiebat. Si enim quid delinquebat, seuerē puniebatur: nec ullum præterea erat perfugium. In hoc autē nostro, quo

N ties

194 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI

ties quis delinquit, toties ei ignoscitur, modo eum pœniteat, ac certa fiducia ad Regis bonitatem clementiamq; configiat. Et qui ad hoc nostrum sacrum Asylum templumue accurrit, annumue peruenit, iam nō seruus est, sed liber, vt potē à Dei filio manumissus. Ac tanta huius nostri Regis bonitas est, vt nos germa

Rom. 8. nitatis iure, sibi adiungat, ac secum

Apoc. 1. Dei filios, &c cohæredes efficiat. Igī

2. Pet. 1. turnos Reges, sacerdotes, ac diuinę

naturae cognatos facit.

COEL. ô immensam bonitatem, ô sapientiam

inauditam: ô clementiam infinitā:

Sed ubi, aut quodnam est hoc siue

Asylum, siue perfugij ciuitas, siue

1. Tim. 3. Regnum annusq; salutis: MAIN.

Quodnam esse credis, nisi Dei viue

tis Ecclesiam, sanctorum ciuitatem,

columnen, ac firmamentum veritatis:

atq; hoc ipsum totum CHRISTI

2. Cor. 6. tempus, ad extremum usq; iudicij

diem: De quo tempore Apostolus:

Adest

Adest nunc tempus acceptū, adest  
nunc dies salutis. Hoc autem non  
magis est hoc quām alio tempore,  
& anno: non magis in Afrīca, quām  
in Asīa, siue Europa: nō magis Ale-  
xandriæ, quām Antiochiae, siue Ro-  
mæ, atq; ob id catholica à maiori-  
bus nostris appellata. Nam cum ex  
hominibus constet hæc ciuitas am-  
plissima, vbi cunq; & quando cunq;  
sint, qui Deum verum reuererētur,  
qui Deo fidem habent habituriē  
sint, illud ipsum tempus est, ibi est  
Ecclesia hæc, atq; hoc diuinum ac  
sempiternum Asylum. COEL.  
Quid de ihs cēses, qui de hoc Asylo,  
Iubile, vt Ebrei vocāt, nihil accepe-  
runt: aut si audiuerunt, id leui fama  
ad eos perlatum est, non certa præ-  
dicatione, atq; institutione insinua-  
tum: Nam tales esse in varijs & re-  
motissimis orbis terræ oris, necesse  
est. Neq; enim, qui innuper reper-  
tis terris, aut apud Trogloditas fue-

N ī runt,

runt, certā de Domino nostro doctrinam audierunt, aut in ea fuerunt instituti. Fuisse verò omnes eos per tot secula exitio destinatos, diuinæ bonitati, ac iustissimæ procurationi consentaneum non est. MAIN. Quamquam difficile est affirmare, tamen illud mihi video posse non absurdē dicere: Si qui inter illos naturæ legem seruarunt, aut etiam nūc seruant: Si vnum Deum coluerunt: si alteri non fecerunt, quod sibi factum nolent, aut factum doluerunt, idem de eis sentio, quod de ijs qui non solum ante CHRISTI aduentum, verum etiam ante latam à Moſe legem in Dei metu vixerunt. Fuerunt enim illi Deo semper chari, & accepti, quemadmodum Petrus in Actis testatur: cuiusmodi fuit Abimelechus, Melchisedechus, Ietro, Iobus, amiciq; eius quatuor: tū Hiramus Tyriorum, qui Solomonis tempore floruit: Saba item æthiopū  
Act. 10.

Re-

Regina, et Cyrus et Darius persarū Reges, & nato CHRISTO Domino Magi: quorum mentionem facit sacra historia: alijqz, vt verisimile est, innumerabiles, in toto terrarum orbe, quorum nulla extat sacrī literis prodita memoria. Fuit enim hæc veterum sententia, quam etiam consignatam literis cum alijs, tū Origenes in Ioannem, & clemens Alexandrinus in oratione ad gētes, relique runt. Is enim in exoratione ad gentes: Qui verbum, non accepit auditione, ei venia dandū propter ignorantiam. Nam, quomodo credent ei, vt ait Apostolus, de quo non audiērunt: non est autem iniquus Deus, vt quemquam iudicata caussa condemnare velit. Qui auditis CHRISTI legatis, gratiam oblatam reiçunt, condemnantur: non qui edociti non fuerunt. Sic enim Dominus ipse sanxit: Ite, inquit, Euangeliū prædicate, docete omnes gētes: qui

N*inj* credi-

Rom. 10.

*Qui verbu  
Dej no au  
dierut nō  
funt condēnā  
dj*

## 198 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI

Matt. 28.

Marc. 16.

crediderit & ablutus fuerit, saluus erit: qui non crediderit condemnabitur. Hæc regis nostri lex est, æquis simaçp sententia: ut quemadmodū auditio Euangelio, qui crediderit cōseruatur, sic qui auditio Euangelio, non crediderit, condemnatur. Ex quo sequitur, per Euangelium non condemnari, qui Euangelium non prius audierit: quod si qui condemnantur, idcirco id sit, quod legem naturæ, testemq; & iudicem conscientiam cōtempserint: per quam iudicabuntur, vt Paulus ad Romanos disertè docet. Hæc est æterna iudiciorum regula, vt ij, quibus lata lex est, si contra legem fecerunt, ea lege iudicentur, non ij, qui ea non tenentur. Quod si hoc in benè institutis iudicijs seruatur, quæ imago quædā sunt, diuini & sempiterni iudicij: multo magis, ac sine vlo errore, à Deo humani generis parente optimo ac sapientissimo, conseruari, creden-

Rom. 2.

dendum atq; affirmandū est. Quid,  
quod modum statuere diuinæ sapi-  
entiæ non debemus? Potuit, & ho-  
die etiam potest quosdam per cœle-  
stes suos genios eundem docere: po-  
test etiam in remotissimis gentibus  
spiritu suo quosdam excitare, ac mit-  
tere qui alios erudiant: potest etiam  
ipse intus suos ad se cognoscendum  
illustrare: neminem enim vnquam  
sui experte diuina bonitas relinquit  
in ipso enim viuimus, & mouemur,  
& sumus, vt Paulus Athenis prædi-  
cabat. COEL. Mihi equidem ista  
Ioua Deo iudice æquissimo, viden-  
tur esse dignissima, eiusq; naturæ le-  
nissimæ, conuenientissima: atq; eo  
magis, quod video illū, ne Niniu-  
tis quidem pœnas infligere, indicta  
caussa voluisse. Nā Ionam vatē pri-  
us ad eos misit: atq; eius prædicatio  
ne, ad meliorem frugem cōuocauit.  
Sed mihi obstat illa Petri sententia  
videtur, qua testatur, nullum aliud

Act. 17.

Act. 4.

N. iiii no-

nomen sub cœlo datum hominibus  
esse, per quod salvi fiant, præter IE-  
SV CHRISTI nomen. MAIN.  
Id non aliter intelligendum est, quā  
quomodo à Domino ipso, ut modò  
ostendimus, dictū est: nimirū de ijs,  
quibus eius est nunciatum nomen:  
Quamquā quicunq; seruantur, per  
Deum seruatorem conseruantur: ut

**Esa. 43.** ipse de se apud Esaiam testatur: Ego  
**& 45.** ego sum Ioua præter quē nullus est  
seruator. At is est IESVS CHRI-  
STVS, Deus laudandus in omnia  
secula, etiam si explicatè & clarè de  
eo non audiuerint. COEL. Ita ip-  
se quoq; cogitabā: sed volui audire  
sententiā tuam. Cur verò Paulo an-  
te cum de Ecclesia loquerere, eam es-  
se dixisti, ubicumq; sint, qui Deo fi-  
dem, habeant, habituriē sint? cur  
illud, quæso, habituriē sint, adieci-  
sti? MAIN. Quoniam multi omni  
tempore atq; ætate sunt electi, atq;  
huic regno destinati, qui nondum  
vocati,

vocati, atq; ad ingrediendum, fiducia compulsi sunt, cuiusmodi, exempli gratia, fuere Saulus, qui & Paulus, Cornelius Centurio, ac Sergius Paulus proconsul, alijq; innumera-biles, imo omnes, quorum in adultā ætatem vocatio ingressusq; à Domino differtur: qui quoniā ante homines natos ad ingrediendum fuerant destinati, omnes ciues, atq; huius ciuitatis membra sunt: id quod tunc ipfis met, atq; alijs patefit, cum cognita Dei bonitate, Regisq; be-nificio, in hoc sanctum Regnum in grediuntur. COEL. A iunt Cor-  
 nelium sibi ad hoc regnum suis pre-cibus & benefactis aditum patefe-cisse: idq; Angeli ad eum sermone, confirmant. Tuæ, inquit, preces, ac benignè facta ad Deū ascenderunt: eiq; in memoria insederūt. MAIN. Qui haec dicunt ipsi, tum contume-liosi in Deum sunt, tū etiam sancta-rum literarum, rerumq; diuinarum  
 N v ignari.

Aet. 10.

202. C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
ignari. Cōtumeliosi, quòd sua De-  
um priuant gloria, eamq; homini tri-  
buunt: diuinarum literarum ignari,  
aut cæci potius, quoniā in eis aper-  
tam veritatem non perspiciunt. Er-  
rorum bona pars inde extitit, quòd  
vnum aliquem locum sumpsimus,  
nō inspectis atq; animaduersis, quæ  
vel ante, vel post eum locum dicerē  
tur. Quòd si, vt semper debet, in-  
spectissent, nunquam in hunc scopu-  
lum impegissent. Quid initio eius  
capitis scripsit Lucas: Cornelium,  
virum fuisse religiosum, Deiq; tum  
ipsum, tum eius familiam totam me-  
tuentem, siue reuerentem. Deinde  
addit, eum vulgo multa benignè fe-  
cisse, ac Deum continenter orasse.  
Prærerea, qui à Cornelio ad Petru-  
m missi fuerāt, viri & ipsi religiosi, aiūt  
eum esse virum iustū, bonumq;, ac  
Dei metuentem, quiq; ab vniuersa  
Iudæorum natione, bene audiret.  
Quis non ex his videt, primo comē-  
darī

dari in eo pietatem Deicꝫ metum:  
 deinde benefacta eius prædicari: ut  
 ea quasi fructus bonos ab arbore iā  
 bona proferri intelligamus. Vir re-  
 ligiosus ac bonus erat: Deicꝫ prædi-  
 tus metu: idcirco benigni multa ege-  
 nis faciebat, Deumꝫ orabat: quæ  
 pietatis eius erant fructus et indicia.  
 Quare dicitur, benè illum apud Iu-  
 dæos audiuisse. At à quonam bo-  
 nus fuerat effectus: non ab ullis be-  
 nefactis, nam bonam prius esse ar-  
 borem oportet, quæ bonos fructus  
 ferat, ut Dominus ait: Ialioqui boni Matt. 7.  
 esse non possunt. Necꝫ enim aut ab  
 effectu cauſa: aut à sua filia poterit  
 mater gigni, aut ægrotus, fortis ac  
 valentis obire munera. Sed quis eū  
 religiosum, bonum, Deicꝫ metuētē Deut. 30.  
 effecerat: Quis, nisi is, qui amputat  
 preputium cordis nostri: qui aufert  
 cor lapideum, dat carneū nouumꝫ  
 spiritum: qui vt ex institutis eius vi-  
 uamus, facit: qui sōntem iustificat  
 qui

Ezecl. 11. 36.

Rom. 4.

Act. 15:

qui fide corda suorum purgat: Is, in  
quam, Cornelii religiosum, piumq;  
fecit. An non hoc ipsum Petro di-  
uinum oraculum patefecit? Nam  
cum existimaret Petrus omnes reli-  
quas nationes, ab Euangelij benefi-  
cio alienas esse debere, tanquam pro-  
fanas & impuras, ab oraculo audi-

A. 10. uit: Quæ Deus purgauit, tu ne pol-  
luta dixeris. Hic Deus ipse testatur,  
se Cornelium perpurgasse, sibiq; co-  
secrassse. Quod & si propter Corne-  
lium dictum fuit, ad omnes tamen  
pertinet, quos Deus sibi delegerat,  
atq; ad Euangelicam adornarat vo-  
cationem. Quod autem eius pre-  
ces & benignè facta, ad Dei ascen-  
disse conspectum, memoriamq;  
di-  
cūtur, ex eo nihil aliud efficitur, quā  
Deum piorum preces audire, bene-  
facta recordari, eiq; grata esse: ut po-  
tē, quæ ab ipso bonorum omnium  
fonte, ante defluxerint. Præterea  
eum, ut Deus postulat, orasse: quod  
qui-

quidem fieri non potest, nisi instinc-  
 tu, aflatūc̄ diuino. Nam, quid ore  
 mus, ut fieri debet, nescimus, inquit  
 Paulus: sed ipse spiritus pro nobis  
 supplicat, intimis gemitibus. Ani-  
 morum autem indagator, quod sit  
 spiritus studium, nouit: qui quidem  
 vt Deus postulat, pro sanctis oret.  
 Iam si spirītu sancto præditus erat,  
 vt certe erat, ac Deo grata acceptaç̄  
 eius preces & benefacta fuerunt, igi-  
 tur & fide pariter præditus fuit, sine  
 qua aut Deum inuocare, aut eidem  
 probari nemo potest, vt idem Pau-  
 lus perspicuè asserit. Quòd si fide fu-  
 it illustratus, ergo & eius cor lustra-  
 tum & purgatum erat: quemadmo-  
 dum Petrus de Cornelio atç̄ exte-  
 ris alijs apud Lucam testatur: Deū  
 spiritu sancto illos illustrasse, ac fide  
 eorum animos purgasse. COEL.  
 Video te per gradus quosdam, quòd  
 volebam, peruenisse, diuinoç̄ spiri-  
 tui consentanea dixisse. Verū vñ  
ad

Rom. 8.

Rom. 10.

Ebre. 11.

Act. 15.

ad hoc in eadē historia superest enī  
cleandum: nimirū quod Petrus ait:  
**Aet. 10.** Re ipsa comperio Deum personarū  
rationem non habere: sed ex omni  
natione, qui eum metuit, & iustitiā  
colit, is ei acceptus, gratusq; est: vi-  
detur enim hīc innuere haud obsecu-  
rē, homines Deo, iustitia colenda &  
benefactis, conciliari. **MAIN.** Petri  
oratio aliud vult nihil, quam quod  
omnes diuinæ sententiae docent:  
Deum, videlicet, in hominibus eli-  
gendas & amandas nihil spectare,  
quam suam bonitatem & gloriam:  
non genus, non opes, non nationē,  
non ætatem, non sexum, nō merita,  
non deniq; aliud quod in personarū  
cernatur attributis. Id in eo cerni,  
quod Cornelium hominem alieni-  
genam vocauerit, atq; suo dignatus  
sit regno. Signa autem electionis  
ipsi Cornelio, alijsq; similibus, Dei  
veri ingenium quendam esse metū  
qui nihil est aliud, quam reverentia  
que-

quædam, cuiusmodi esse liberorum  
erga parentes, solet: deinde fiducia  
& certa persuasio, de diuina erga se  
benevolentia: ex qua legis diuinæ  
studium ac rectè iusteç facta exori-  
ātur quasi diceret: Qui Deo gratiis  
acceptusç est, is Deum metuit, re-  
ueretur, amat, eiç fidit: iustitiam co-  
lit oportet enim hominem acceptū,  
gratiosumç esse, cuius accepta sint  
officia: alioqui, ab eo quem auerse-  
ris, nihil gratum, nihil acceptum es-  
se potest: id quod omnes in hac ciui-  
li, communicç vita experimur: Ea  
prorsus forma & sensu, quò Ioan-  
nes ait: Quicunque iusta facit, ex 1. Ioan. 2. 5.  
Deo natus est. Item, qui iusta fa-  
cit, iustus est. Item, QVISQVIS  
IESVM CREDIT ESSE  
ILLVM CHRISTVM, EX  
DEO NATVS EST, hoc est,  
Idcirco quis iusteç facit, credit IE-  
SVM ESSE CHRISTVM,  
quòd EX DEO NATVS EST.  
quòd

208 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
quòd iustus ipse sit à Deo verè fact⁹,  
diuinaq; imbutus iustitia. Nam  
nisi ex Deo natus esset, nec recte,  
aut iuste quicquam faceret, nec IE-  
SVM, esse CHRISTVM cre-  
deret. Id ipsum confirmat Domi-  
nus, qui cum audiisset Petrum ex  
animo confidentem se esse CHRI-  
STVM illum Dei immortalis filiū:

Matt. 16. Tibi, inquit, id non patefecit caro  
& sanguis, sed Pater meus, qui in  
cœlis est. Iam enim supra diximus,  
iustum iusta facere, non iuste facta  
iustum hominem efficere, ut Philo-  
sophi de morali iustitia loquuntur.  
Nam nos h̄ic de vera, non adumbra-  
ta, de diuina non humana, de Chri-  
stiana non Pharisaica iustitia loqui-  
mur. Inter humanam autem diuinā  
q; iustitiam hoc interest, quòd hu-  
mana, qui coram Deo non sit iu-  
stus siue iustificatus, exercere inter-  
dum possit, aut poenarum metu, aut  
gloriae aucupādæ gratia, aut alia de  
caussa

cauissa: at diuinam nemo vnquam  
 coluerit, qui prius non fuerit iustifi-  
 catus, fide purgatus, spiritu diuino  
 instinctus & illustratus: ut omnia di-  
 uina oracula, ac Paulus præsertim,  
 abunde teſtantur. Itaçp haud mirū  
 eit, si quisquis Deum metuit, iusti-  
 tiamçp colit, Deo acceptus est: quo-  
 niam Dei metus initium est sapien- Pſal. III.  
 tiæ, Deicçp cognitionis, & cultus: at-  
 çp idem a Deo cum spiritu donatur.  
 Velut Eſaias de CHRISTO ait: Eſai. II.  
 In quo reſidebit ſpiritus Dei, ſpiri-  
 tus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiri-  
 tus conſilij & fortitudinis, ſpiritus  
 ſcientiæ & Dei metus. Hoc metu  
 quaſi ſale, Deus condit, & à corrup-  
 tione conſeruat, etiam dum in igno-  
 rantia Dei ſunt, eos, quos olim ad ſu-  
 um regnum eſt vocaturus: quibus  
 vice cuiuſdam inchoate, rudiſcçp fi-  
 dei eſt, quæ vocationis tempore, au-  
 ditioneçp Euangelij perficitur: ut in  
 Cornelio, atçp alijs nōnullis pſpicue-  
O con-

constabit ihs, qui eius historiam totā  
diligenter expenderint. COEL.  
Mihi quidem iam hac tua oratione  
ita constat, vt ne verbum quidē sim  
additurus: ac spero omnibus idem  
euenturum, qui Dei oraculis mai-  
rem fidem, quam hominū somnijs,  
peruersisq; iudicijs, ac sententijs ha-  
bere volent. MAIN. Ut igitur eō  
redeat, vnde huc deflexit oratio, di-  
co, vbicunq; & quandocumq; sit ali-  
quis, eum ibidem, eodemq; momē-  
to Asylum apertum annumq; pro-  
piciū habere. Tantum confidere,  
atq; inuocare nomen Domini opus  
est, quemadmodum scriptum est:  
Qui ei confidet, non frustrabitur.

*Esa. 28.*

*Joel. 2.*

*Prou. 18.*

Item quicunq; Domini nomen in-  
uocauerit, euadet. Item, firmissima  
turrīs nomen Domini: ad eam pro-  
fugiens iustus, conseruabitur. Ad  
hoc Asylum, ad hanc arcem, cūctos  
ipse Dominus, egenorum, misero-  
rum, & ( cur enim non dicam? ) per-  
ditō-

ditorum, vnicum perfugium, hisce  
blandissimis vocibus inuitat: Veni-  
te, inquit, ad me omnes laborantes  
& onusti, & ego recreabo vos. Hi  
sunt modi, hæ diuinæ artes, quibus  
Rex noster utitur ad regnum suum  
dilatandum. Iam si mundana regna  
hac ratione in immensum crescere,  
atq; proferri solent, quanto maius  
putas diuinum regnum futurum, cū  
& firmius sit, & capacius, & accessu  
omnino facilius, quam ullum aliud  
regnum? COEL. Evidem insi-  
nitò maius futurum credo, tantoq;  
aduersarij regno numerosius, quo  
plures ij sunt, qui quietem, qui im-  
punitatem, qui libertatem, qui ho-  
norem, qui salutem, expetūt: quam  
labores, supplicia, seruitutem, igno-  
miniam, & sempiternā mortē: quæ  
omnia eos manēt, quos in fœdissi-  
mum Orcum, in amenaq; Ditis re-  
gna iuuat descendere. Verū haud  
multos esse existimo, qui in tantam

O ij cala-

Matt. II.

calamitatem præcipites velint ruerre: cū præsertim tanta facilitate queant euadere. Quod quamquam ita esse videatur, tamen non ita multos ad hanc Deitudissimam arcem, pulcherrimā atq; amoenissimam urbē contēdere videmus. Cuius rei quid caussæ sit, me non satis perspicere, fatetur. MAIN. Caussa in promptu est Coeli Secūde: primum ea, quam supra tibi multis explicauis: videlicet sapientissimi nostri Regis noua in regno suo administrando ratio, quafit, ut iudicium humanum, dū aspec-  
tabile hoc quærit regnum, decipiatur. Deinde, quoniam Asyli, & fau-  
sti anni, hoc est Euangelij prædica-  
tione, rectoq; sacramentorum usu,  
dum in hac vita sumus, cōgregatur,  
& constituitur ecclesia: eis autē pri-  
uatus fuerit magna ex parte mūndus,  
factum est, ut per multos iam ānos,  
ea latuerit: ciuesq; huius regni, vix  
ab alijs, ac ne vix quidem, agnoscí

po-

potuerint. Quando cunq; enim læ-  
 tissimum Euangeliū nuncium, pure  
 & apte prædicari, audiri q; contigit,  
 totum vidimus mundū ad hanc ci-  
 uitatem capessendam contendisse,  
 veluti CHRISTI Apostolorumq;  
 temporib; CHRISTVS enim  
 ipse, postquam instare regnum cœ-  
 leste docuisset: atq; ad frugem redi-  
 rent mortales monuisset, cūctos ad  
 se lætis illis verbis conuocabat: VE  
 NITE AD ME OMNES LABO  
 RANTES ET ONVSTI, ET  
 EGO RECREABO VOS.  
 Ac de hoc eius læto nunciandi mu-  
 nere annoq; liberali, prædixerat Esa  
 ias in CHRISTI persona loquens  
 in huc modum: Spiritus Domini  
 IOVAE prædictus sum: vnxit enim  
 me IOVA, meq; ad læta nuntianda  
 misit: ad medicandum mente frac-  
 tis: ad edicendum captiuis liberta-  
 tem, & cæcis visum: ad calamitosos  
 ex angustijs emittendos: ad prædi-  
 O iii can-

Esa. 16.

214 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
candum propicium Dominiānum.  
Apostoli vero, tanquam Domini  
tubæ verissimicq; legati, illa amabili,  
dulcissimaq; oratione, cunctos mor  
tales ad hoc ingēs beneficiū, hocq;  
felicissimū regnū inuitabāt. VETE

2. Cor. 5.

RA PRAETEREVNT, ECCE  
NOVA FACTA SVNT OM  
NIA: OMNIA AVTEM à  
DEO, QUI NOS SIBI RECON  
CILIavit PER IESVM  
CHRISTVM: NOBISq; HV  
IVS RECONCILIATIONIS  
ADMINISTRATIONEM  
DEDIT (ERAT ENIM DEVS  
IN CHRISTO MORTALES  
SIBI RECONCILIANS EIS  
NON OBICIENS IPSORVM  
PECCATA) NOBIS, IN  
QVAM, RECONCILIATIO  
NIS ORATIONEM MAN  
DAVIT. ITAQ; CVM PRO  
CHRISTO LEGATIONE  
FUNGAMVR, QVASI DEO  
PER

PER NOS ADHORTANTE,  
VOS PRO CHRISTO ORA-  
MVS, RECONCILIA MINI  
DEO: QVI PECCATI PV-  
RVM ET IGNARVM, PRO  
NOBIS PIACVLVM EFFE-  
CIT, VT PER EVM INSON-  
TES ET IVSTI DEO EFFICE  
REMVR. Sed enim cito ab emē-  
titis legatis, legis grauissimum iugū,  
humanaq; decreta humeris morta-  
lium imponi cōperūt, quæ animos  
ab̄iciunt, non erigunt, absterrent,  
non alliciunt: vulnerant, non medi-  
cantur. quo factum est, vt aut pauci  
ad regnum illud accedere auderēt:  
aut qui accessissent, in eo non mane-  
rent. Evangeliū enim I E S V  
CHRISTI Domini nostri, non vi-  
aut armis propagandum est, sed pre-  
dicatiōne, sp̄ritus energia, & euīde-  
tia, moribus, patientia, charitate, pla-  
cabilitate, iustitia, temperantia, con-  
stantia, bonitate, fide, lenitate, qui-

O iij bus

bus vis illa sacri spiritus sese exerit,  
& ostendit. Sic dominus ipse, sic  
eius discipuli, ut ostendimus Euangeliū propagarunt: atq[ue] in homi-  
num corda cœlestē veritatē inse-  
ruerunt. Dominus enim noster, ut  
Hilarius ad Constantīnum Augu-  
stum, ait, cognitionē sui docuit, po-  
tius quam exegit: & operationum  
cœlestium admiratione, præceptis  
suis concilians autoritatem, coactā  
confitendi se aspernatus est volunta-  
tem. Et recte quidem Hilarius vir  
non minore sanctitate quam erudi-  
tione pollens. Nam nihil est tam  
voluntarium, nihil tam liberum quam  
religionis sententia. Idcirco illa in-  
stituendo ac persuadendo, non mi-  
nis aut metu traditur: quam non oc-  
cidendo, sed moriendo, non sauitia  
sed patientia, non fraude sed fide de-  
fendimus. Si enim imperijs, ac vi  
religionem tueri velis, iam non de-  
fendetur, sed polluetur ac violabitur

po-

potius. Recta igitur ratio est, vt re  
ligionem, & veram de rebus diuinis  
sententiam docendo propages, fide  
conserues, moribus ornes, toleran-  
tia, & si opus sit morte defendas ac  
testeris tua: in qua fides conseruata  
cum ipsis Deo grata est, tum religio-  
ni conciliat autoritatem. Itaç si Do-  
minus ut cœpit Euangelium, hoc  
est suauissimam, & amabilissimam  
reconciliatæ gratiæ legationem, fe-  
lici cursu prouexerit, iterum ac ma-  
iore frequentia, orbem terrarū vni-  
uersum ad hoc Asylum, ad hanc mu-  
nitissimam arcem, & propugnacu-  
lum, ad huius Asyli principem IE-  
SVM CHRISTVM, atç ad tria il-  
la oppida diuina, Fidem nimirum,  
spem, & charitatem adcurrere cer-  
nemus: ita vt hisce oculis etiam, Re-  
gnum Deilōgē maius visuri simus,  
quām id quod humani generis hos-  
tis sibi, non sua potentia, sed Dei  
prudentia, comparauerit. CO  
O v EL.

EL. ô beatam illam diem: ô mihi  
 tam longe maneat pars ultima vitæ  
 spiritus: MAIN. Manebit, ne du-  
 bita Cœli, manebit, iam enim audis-  
 lætum hoc Euangelij nuncium ad  
 Scytas, Thraces, Indos, & Afros us-  
 q; hoc tempore penetrare. Omitto  
 Europæ amplissimas regiones & vr-  
 bes. Tenet enim Rex Regū CHRI-  
 STVS Rhætiām, tenet Heluetiam,  
 tuerit Germaniam, regnauit atq;  
 iterū regnabit in Anglia: gubernat  
 Daniam, regnaq; Cimbrica: habet  
 Prussiam: instat Poloniæ, totiq; Sar-  
 matiæ: vrget Pannonios, spectat Mo-  
 scos: nutat Gallia: nostra parturit Ita-  
 lia: tandem sequetur Hispania. Quin  
 etiam Iudæos ipsos, non tam auer-  
 sos à CHRISTO esse, atq; ante  
 fuerunt vides: quod nos videat vnū  
 Deum cœli terræq; creatorē agno-  
 scere, & quē misit IESVM CHRI-  
 STVM: nulla simulachra, nulla si-  
 gna, nullas pictas tabulas colere:  
 nul-

nullum mysticum panem, crustum-  
uè pro Deo venerari: se à nobis non  
(vt ante) contemni, vt potè qui ab  
ipsis nos CHRISTVM accepisse Rom. 11.  
agnoscamus: illos ad tempus, vt no-  
bis aditus in Dei Regnum patefie-  
ret, ab ingressu summotos esse, atq;  
alia id genus, quibus fiat, vt ad æmu-  
lationē prouocetur, atq; ad CHRI-  
STVM illum suum, alliciatur. Sed  
quoniam video nos iam hīc aliquot  
confessisse horas, & noctem aduen-  
tare, veniam ad eos locos, siue testi-  
monia diuina, quæ Regni Dei am-  
plitudini fauere non obscurè viden-  
tur: nisi tibi secus videtur. COEL.  
Hoc ipsum aueo, ac tamquam fasti-  
gium huic nostro sermoni imponi,  
magnopere cupio. Verum antequā  
id facias, desiderium meum quod-  
dam, libet exponere. Dixisti nostrā  
parturire Italiam, vtinam tandem pa-  
riat, quod iam diu parturit: & qui  
nūctenet et obstat ē medio tollatur.

Tunc

Tūc enim cum Simeone canerem:  
Nunc dimittis me tuum Domine,  
secundum promissum tuū placide,  
quamdoquidem meis ipse vidi oculis  
salutem tuam, quam omnibus ex  
positam populis esse voluisti. Utinam  
nostrorum principum quispiā,  
aliquauē Respublica, aut Regnum,  
Asylum aperiret ihs qui vix nusquā  
locum tutum inueniunt: qui vnam  
tantum ob caussam impij seditioniqp  
proclamat, quod verē pij, ac  
CHRISTI DOMINI gloriæ stu-  
diosi esse volunt: qui vel in solitudi-  
ne, ut quondam Israelitæ cum ægyp-  
tiaca seruitute præmerentur, Deo  
vero eiusque filio IESV CHRI-  
TSO, ex eius præceptis, & institu-  
tis seruire, eumqp colere cupiunt: quā  
do & Iudeis, & Muhamedæis siue  
Turcis, atqe etiam, quod est lōge tur-  
pius, vulgatissimis scortis, ihsqp in-  
numerabilibus, locum in suis ciuita-  
tibus tutissimum dare non veretur.

Quod

Quod si fieret, hoc certum atq; indu  
bitatum oraculum habeant, illam  
Remp. illumue, qui hoc diuinū Asy  
lum aperiret principatum, breui ma  
gnitudine ac potentia, reliquos om  
nes superaturum. Hoc enim semper  
fuit Asyli fatum, hęc fortuna, & fœli  
citas. Neq; enim ut à Mose in Cana  
nea, aut à Romulo in latio impuden  
tibus, facinorosis, aut turbulentis,  
sed omnium mortalium sapientissi  
mis, iustissimis, & pacatissimis ape  
riretur. Quidamquam quod opto, bre  
uispero futurum, atq; inter reliqua  
quæ de præcipuis orbis terrarū par  
tibus cursim attigisti de Poloniæ  
Regno præpotenti omen lètum &  
faustum accipio, vereq; instare Po  
loniæ, ac pro foribus eius adesse IE  
SVM CHRISTVM: ad eā su  
perstitionibus falsoq; cultu expur  
gandam, certis testimonij & signis  
adducor. MAIN. Quæ tādem illa  
sunt Cœli Secundæ COEL. An  
*boni*

non

non meministi( vt sermonem mul-  
torum qui mecum familiariter vi-  
xerunt idem testantium, nunc præte  
ream ) quæ vir nobilitate multisq;  
virtutibus & honoribus aplissimis-  
spectatus, & probatus Ioannes Lu-  
tomirzkius Castellantis Brzenzi-  
nensis, ac Regie curiae Questor in-  
tegerrim⁹ ad me p̄scrípsit; MAIN.  
Iam memini: sed eadem abste audi-  
re denuo iuuat, nam eius, Regis, re-  
gnic⁹ laudib⁹ vehementer afficior.  
Est enim partim Italico, part⁹ Polo-  
nico sanguine, eoq; nobilissimo at-  
q; clarissimo, verēq; heroico pro-  
gnatus: vt & hic videas patriæ cha-  
ritatē nonnihil sibi vēdicare. CO-  
EL. Puto me hic ei⁹ habere literas,  
nā ad eas s̄ap e redeo, lego, relego,  
adeo me & erudiunt simul & oblec-  
tant. Omissis igitur alijs, quæ in eis  
sunt perscripta sapienter, ea modō  
legā, quæ de eo Rege memorat. Si-  
gismundo patri ( inquit ) non mi-  
nus

nus re quām nomine filius Augustus sucessit, cuius de rebus bello gestis, nihil habeo quod referā, siue quod recens in regnum inaugurate spacium bellandi nō fuit: siue quōd occasio gerendorum bellorum Dei gratia summaq; sapientia patris ipsius hactenus ferē sublata sit, quæ tam gloria, quōd crux humano ematur, bono ac sapienti viro non est expetenda: imo verò aspernenda, & summo conatu fugienda, ut potè immanis, ac barbara, totaç; opibus, insidijs, atç; feritate militū, in primisq; fortunæ temeritate, nulla verò fide ac pietate nitatur: ita ut hominē exuere eū oporteat, qui clavis generis humani hanc laudem sibi expetendam arbitretur. Quod cū Sigismundus noster Augustus haberet cōpertum, nihilq; Regis Christiani magis esse proprium animaduerteret, quām vt ciues suos ad pacis artes & studia asuefaceret, vestigia

224 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
gia patris secutus, cum vicinis hosti-  
bus foedera percussit: ac ne vlla con-  
cidentur iniuria, custodibus finium  
cauet: si quid autem de regundis fi-  
nibus ambigatur omnia iudicium  
arbitrio componit. Bella enim dul-  
cia primo videntur, mox progressu  
difficillima sunt, exitu autem nunquam  
ferè non luctuosa, etiam si potiri de-  
tur victoria. Itaque opera Regis no-  
stri Augusti, pax & tranquillitas, que  
in nullo orbis terrarum angulo hoc  
tempore habet locum: tot furijs bel-  
la ex bellis serentibus, terraque coelo  
miscentibus, in sola ferè Polonia do-  
micilium fixit. Porro domi leges  
patriæ magna ex parte antiquatas,  
in usum ciuium restituit: Magistra-  
tus, dignis distribuit: Curiæ suos  
splendore, dignitate cumulauit: Fo-  
ri ac rei militaris disciplinam, auxit.  
Præterea seditiones in republica ex-  
citatas summa moderatione animi  
ac sapientia mitigatis partibus sopiit:  
neque

neq; mirum, nihil enim antiquius  
ducit, quā vt innocentia atq; omni  
genere virtutum, rem publicā exor-  
net, omnibusq; sapientiae iustitiae, hu-  
manitatis, studiū vigeat: atq; in pri-  
mis vt Dei sincerus cultus restitua-  
tur, Euangeliū IESV CHRISTI  
propagetur, & in hac ipsa disciplina  
quæ utiq; hominis finis est propri-  
us, dies ac noctes meditetur, in hac  
excubet: huic totam vitam impen-  
dat: vt tam politicæ iustitiae tesseris,  
aues colligati quam Christiana reli-  
gionis symbolis consecrati, non so-  
lum terrenę reipub. incolæ, verum  
etiam cœlestis ciuitatis municipes  
sint, ac dici mereantur. Cum ergo  
Augustus discriminata ciuium offi-  
cia habeat, de omni lite legibus sta-  
tuat, nihil arbitrio virium faciat, ad  
pacem omnia cōsilia reuocet, pietas  
tem veram murum sui regni esse cre-  
dat, disciplinam militarem cū omni  
moderatione retineat, nōne beata,

P atq;

atq; adeo regnum cœleste, respub.  
Polonorum dici potest: cuius ciues  
exemplo Israelitarum, altera manu  
templum ædificant, in quo Rex Re  
gum CHRISTVS sancte colatur:  
altera verò contra hostes , vibra  
tos gestat gladios , non ut aliena in  
uadant, sed ut portis infestum hostē  
prohibeant, & sibi à Deo crediti re  
gni fines tueantur. In nunc & confe  
nostro Angusto Augustissimos:  
Christiano Christianissimos: iudici,  
Radamantos Imperatorum etiam  
gladios, nostri principis caduceo. vt  
semel omnes illos veteres Alexan  
dros, Annibales, Iulios reiciā: quo  
rum vt pietas impia, ita iniusta iusti  
tia fortitudo etiā cruenta fuisse me  
moratur. vt faces , ac pestes generis  
humani, non parentes aut deffenso  
res credi iure possint. Noster autem  
hic princeps etiam lictorem de vr  
be, carnificem de foro, crucem de cā  
po tolli vellet, ne libertas suorum ci  
uium,

uium, recordatione pœnarum fune  
staretur: si malorū audacia, alia quā  
piam ratione cohiberi queat. Illam  
horrendi carminis legem Tyrannis  
relinquit, hic noster pius Augustus:  
qui subinde verba illa intonat.  
Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas:  
Qua iuvat reges eant.

Quid simile in Polonia? nihil sanè,  
eiecta est omnis laniena ignorans car-  
nicina, nemo ab regis nostri potētia  
quidq; sibi suisue timet nisi c̄tenus.  
S. P. Q. P. legibus agendis esse vi-  
deatur, didicit enī īā olim puer illud  
sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:  
Indoleat, quoties cogitur esse ferox . Item illa  
Non sibi quid liceat, sed quid fecisse deceret  
Ocurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Verè enim de Rege nostro Sigis-  
mundo dici, quod de Apum rege  
scribit potest, eum videlicet acule-  
um non habere. Hæc vir ille non  
minus sapienter, quam grauiter &  
eleganter de Reges suo ad me proxi-

P ij mē

mē scripsit, ex quibus vides Sigis-  
mūdum Augustum, Regem unum  
esse, in quo & fides, & iustitia, & hu-  
manitas acquiescat: veræ studiū re-  
ligionis vigeat, atq; omnis eluceant  
honestatis exempla: ita ut verè AV-  
GVSTVS hoc est, ut appellant īj  
qui planè & latine loquuntur, sanc-  
tus, & Deo consecratus, appelletur.  
MAIN. Video, & Poloniæ cæteris  
ēp fortissimis populis & gentibus  
hūc à Deo datū Regem, & Ducem  
ex animo gratulor: atq; eò magis,  
quòd audio etiam ipsam nobilitatē,  
equestremq; ordinem splendidissi-  
mum, Regis sui, cum alias virtu-  
tes, tum vel maximè sincerae religio-  
nis studium imitari, & de CHRI-  
STI ecclesia, à superstitionibus libe-  
rāda, cogitare. COEL. Prouehat  
CHRISTVS eorum tam pium &  
sanctum desiderium ac studium.  
Tu verò Mainarde pge, & reliquū,  
si videtur, munus absoluē. MAIN.

Fa-

Faciam, ac primum volo magnificē  
tissimum illud promissum toties à  
Deo Abrahamo repetitum, & in-  
cūlcatum diligentius cōsideremus.

PROMITTIT DEVS, ET IV-  
RE IVRANDO CONFIR-

Gen. 13.

C 22.

MAT ABRAHAMO, SE  
GENTEM EIVS AC STIR-  
PEM PVLVERI TERRAE  
COEQVATVRVM, ATꝝ  
AD STELLARVM COELE-  
STIVM ET ARENARVM  
MARINI LITORIS NVME-  
RVM, AVCTVRVM, PER-  
FECTVRVMꝝ, VT IN EIVS  
STIRPE OMNES ORBIS  
TERRARVM FAMILIAE  
TRIBVS, ET GENTES, FOE-  
LICITATE DONENTVR.

Hic seire velim, voluerit ne Deus  
his tam magnificis verbis multitu-  
dinem suorum ( nam eos in Abra-  
hami stirpe significatos esse vel ex  
Paulo sciri potest ) inferiorē ea fore,

Rom. 4.

P. iii quæ

quæ Diaboli nutum sequeretur? Quis hoc ausit dicere: cum eam stirpem ijs comparet rebus, quæ numero & multitudine reliquis omnibus anteferantur, imò quæ numero comprehendendi nullo prorsus modo possint? Quàmquàm enim Archimedes nobilis Geometra arenam non solum quæ circa Siracusas est, verū etiam quæ tota habitabili terra inhabitabiliq; continet, se posse numerare putauit: ac idcirco de numero arenæ ad Gelonem Regem demonstrationem conscripsit: Verumtamen hoc posse illius tantum est, qui vola sua mensus est aquas: qui cœlū palmo aptauit: qui telluris humum tiente comprehendit: qui trutina montes, & lancib; colles pondera-

**Cap. 40.** uit, ut vates Esaias canit. Itaq; huius modi comparationes ad ea modò demonstranda adhibentur, quæ omnem, in genere suo comparationē, refugiunt. Ex quo sequitur Abrahami

hami genus, qui omnium fidetium  
piorumq; Pater est, numerosius &  
copiosius reliquis omnibus, quæ-  
cunq; illa sint, fore. Quin etiam cū  
diuina oracula regnum Dei amplifi-  
cant, quoniam semper Antitheum  
spectant, id contentione quadam ta-  
cita faciunt: ut videlicet tantum An-  
tithei extenuent diminuatq; regnū,  
quantum Dei amplificant imperiū.  
Neq; enim Augustino assentiri pos-  
sum, qui cum in his locutionibus  
agnoscat hyperbolē, in eis tamen  
declarandis hallucinatur. Nam li-  
bro de Ciuitate Dei XVI contrā  
comparationis naturam & vim, stir-  
pem Abrahāmi fidelem, longe mi-  
norem impiorum multitudine esse,  
affirmat. Fac multitudinem arenæ  
marinæ, siue terreni pulueris, longe  
esse omnium mortaliū numero, ma-  
iorem. Quid tum postea: non enim  
hoc queritur, an piorum numerus  
maior sit arenis marinis: Sed cum

P. iij. hac

hac comparatione sanctum semen  
exaggeretur, illud in quæstione est,  
sit ne impiorum semine copiosius?  
Quod si nō est, quid attinebat illud  
cum re infinita contendere, atq; con-  
ferre? Venisset aliquis, dixissetq;  
hanc tam magnificam, ac supra fidē  
collationem, potius in impiorū mul-  
titudinem conuenire, vt potē, quæ  
numero (vt volunt) illam alteram  
longè post se relinquat: an non hīc  
diuina sapientia in comparādo nec  
quicquam vidiisse aut sapuisse, insi-  
mularetur? Quod si id sentire, ne di-  
cam proferre verbis, impiū atq; au-  
dax est, efficitur necessario eam mul-  
titudinem, quæ cum arenis conten-  
ditur, omni reliqua hominum multi-  
tudine superiorem esse, longèq; nu-  
mero maiorem. Quid: quod adie-  
cit his omnibus Deus, omnes orbis

**Galat. 3.** familias, nationes, & gentes, in eo  
semine, qui CHRISTVS DOMI-  
NVS est, fortunatas beatasq; fore.

At,

At, quoniam pacto erunt fortunatę, siquidē maxima pars ab hac fœlicitate, regnoq; Dei fortunatissimo, excludetur. Hic enim alterum ē duobus est necessarium, aut (horret animus dicere) Deum mēdaciē esse: aut fortunatorum multitudine, omnem aliam multitudinem hominū superari: quorum utrum sit assumēdum, pījs iudicandum relinquo.

**COEL.** Recte & firmissimē concludis. Tum namq; est hyperbole virtus, vt ait Fabius, cum res ipsa de qua loquimur, naturalem modum excedit. Cōceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est, non potest: meliusq; ultra quam citra, stat oratio. Iam hæc promissa non sunt vulgaria, sed adeò magnifica & ampla, vt cuncti mortales admiratione obstupescere, atq; ad maiora augustioraq; quam cogitant, de sancta electorum designatorumq; republika, & numero, cogitanda

P v debe

2;4 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
deberent excitari.

Quē qui scire velit, Lybici velit & quoris idem  
Discere, quam multæ Zephyro turbētur arenæ.  
Aut ubi nauigij violentior incidit Eurus,  
Nosce quot Ionij veniant ad littora fluctus.

MAIN. Vera narras. Sed quid  
agas: illis ita imposuit nequam ille  
pietatis pallio velatus. At nos his  
relictis, ad alterum Mosæ librum ve-

Exod. 3;4. niamus. IN EXODO ENIM  
DEVS, ATQVE ALIBI  
QVOQVE TANTAM ESSE  
NATVRAE BONITATEM  
SVAE TESTATVR IPSE,  
VT CLEMENTIA IN MIL-  
LE VSQVE AETATES VE-  
LIT VTI, VITIA, ET PEC-  
CATA, ET DELICTA  
CONDONANDO: IN POE-  
NA AVTEM IRROGAN-  
DA, AD TERTIAM, VEL  
AD SVMMVM, QVAR-  
TAM AETATEM, CVL-  
PAS SE ESSE VINDICA-  
TV.

TVRVM. Confer modò, & co-  
gita quæ sit mille ad quatuor pro-  
portio: atq; eadem inter eos qui cle-  
mentia Dei conseruātur, & eos qui  
eius seueritate condemnantur, futu-  
ram esse congosce. COEL. Ea est  
fermè sine proportione proportio,  
nimirum ducentecupla quinquage  
cupla ad vñū collatio, vt Arihtme-  
tici loquuntur: atq; eadem ferè quæ  
corporis est ( vt Geometrarum mo-  
re dicam ) cum breuissima linea cō-  
paratio. MAIN. Scienter ac pe-  
nitè tu quidem ratiocinaris. A Mo-  
sæ igitur ad vatem nobilissimum  
Efaiam, cuius autoritate mirificè ac  
perspicuè beatum hoc Regnū exag-  
geratur, nos conuertamus. Is qui-  
dem cœlestem Hierosolymā in ter-  
ris etiam num confistantem, in hūc  
consolatur modum: LAETA-  
RE STERILIS, QVAE  
NON PARIS: ERVMPE  
IN HYLAREM CANTVM,  
ET

F. 1. 54.

C. 49.

236 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
ET EXCLAMA, QVAE NON  
ENITERIS: NAM PLU-  
RES FORE DESERTAE,  
QVAM MARITAE NA-  
TOS, PROMITTIT DE-  
VS. quæ verba à Paulo in Episto-  
la ad Galatas, & citata & explicata  
sunt. Multo plures inquit, futuri  
sunt desertæ natī quām virum ha-  
bentis. Iam illud, sterilem ac dere-  
lictam, veram Dei Ecclesiā, Cœle-  
stemq; Hierosolymam esse: maritā  
verò, terrestrem cœlesti semper con-  
trariam & infestam, satis intelligunt  
diuinorum mysteriorum cognitio-  
ne imbuti. Ibidem enim Paulus,  
vtriusq; ingenium describens, cer-  
tisq; notis alterā ab altera diuinitus  
distinguens. Nos verò fratres, in-  
quit, quemadmodū Isaacus, ex pro-  
missō natī sumus: Sed vt tunc qui  
ex carne genitus fuit, ex spiritu natū  
vexabat, sic fit etiam nunc. Verū,  
quid ait scriptura? Ejce ancillam  
cuiusq;

ciusq; filium: non enim cum liberæ  
filio, ancilla natus haeres erit. Itaq;  
fratres, nos non ancillæ nati, sed li-  
beræ sumus. COEL. Audiui, atq;  
etiam si bene memini, aliquando le-  
gi, sterilem illam, Ecclesiam esse ex  
alienigenis externisq; gentibus col-  
lectam: maritam vero, Israelis Rem  
publicam, siue Iudæorum Synago-  
gam, quæ nihil inter se, nisi gente, ac  
tempore differant. MAIN. Scio:  
atq; idecirco Pauli locum adduxerā,  
ex quo perspicuum fieret, non gen-  
tis temporis uerba ratione, sed studijs  
& moribus, & fine distinctas esse.  
Nam primum, omne hominum ge-  
nus in duo distribuit: in eos qui ex  
carne, & eos qui ex spiritu nati sunt:  
inter hos nihil est tertium. Deinde  
qui ex carne sunt, illos alteros cœle-  
stes & diuinos perpetuo vexare ait:  
nihilominus tamē, illos seruos, hos  
liberos esse. Idecirco quod ad finem  
sortemq; eorum attinet, liberæ natis  
haeres.

hæreditatem solidam dat: abdicatis  
 & electis ancillæ filijs. An obscurū  
 est, in Iсаaco, Iſacidas omnes, hoc est  
 sanctorum omnium Rempub. & ci-  
 uitatem: in Iſmaele verò terrenorū  
 atq; impiorum colluuiem intelligē-  
 dam esse? Quæ namq; tam docte,  
 tamq; perspicue à Sancto Aposto-  
 lo seiunguntur, nos ea coniungere,  
 seu potius confundere nō debem⁹.  
 Et vt maximè quis velit in marita il-  
 la, aut in ancillæ filio, Iudeorum Gē-  
 tem intelligere: neq; sic tamē quicq;  
 de conseruandorū multitudine de-  
 traxerit. Nam vt qui fidem factaq;  
 imitatur Abrahāmi, filius eius dici-  
 tur: estq; ex illo infinito sanctorum  
 numero vnu: sic quicumq; Iſmae-  
 lis mores, Iudeorumq;, cōtumaciā  
 sequitur: aut lege & benefactis ne-  
 scio quibus gloriatur, is Hugarenus  
 atq; Iſmaelita meritò appellatur.  
 Quid cum ita sit, nō est, quod quis  
 quam iam tergiuersetur: perspicue  
 enim

enim affirmat, plures fore ciuitatis,  
cœlestis ciues, quam terrenæ, & hoc  
est, quod ob tantam multitudinem  
admirationis plena ipsa eadem san-  
cta ciuitas, veraq; ecclesia apud eum  
dem vatem ait: Quis mihi hos genu-  
it, orbæ & liberis priuatæ? exteri et  
exuli? Hos verò, quis educauit? cū  
ego sola fuerim relicta, vnde nā sunt  
hi? COEL. Ita est prorsus. Sed  
cur sterilis illa ac deserta: hæc verò  
marita appellatur MAIN. Pri-  
mum quod non ita fœunda & le-  
gis ceremonijs illustris, atq; illa al-  
tera: deinde quod exigua oculis ho-  
minum esse videatur. Non enim  
illa iactat benefacta: non est aliquo  
externo ornatu splendoreue conspi-  
cua: non crepat annorum numerū,  
non hominum sequentium mul-  
titudinem: non conciliorum autori-  
tatem, non opes, non titulos, nō po-  
tentiam, nō principum aut Regum  
amicitias: non deniq; ceremoniarū,

ritu-

rituum, sectarum copia, celebratur:  
 Idcirco sterili, sine liberis, sola, par-  
 ua, atq; à Deo derelicta, ab ijs qui  
 speciosa tantum lemni scataq; con-  
 spiciunt, iudicatur. Altera verò cō-  
 traria, habere maritū dicitur, quòd  
 & numero & externo cultu, & pō-  
 pa præstare alteri videatur. Nam  
 Vates maritam opposuit sterili, atq;  
 à marito desertæ: ac de vtraq; ex ho-  
 minum iudicio loquitur. Alioqui  
 in oculis cuncta etiam occultissima  
 prouidētis, illa Deo charissima, fœ-  
 cundissima, & numero maxima est;  
 hæc autem odiosa, infœcunda, exi-  
 gua. COEL. Non querā hīc qui  
 sit Ecclesiæ sanctæ maritus: scio enī  
 eum esse CHRISTVM Domi-  
 num: sed quem nam alterius volūt  
 esse maritum? MAIN. Illa ipsa  
 synagoga Mosen iactat, sed falsò,  
 quemadmodum ostendit CHRI-  
 STVS, cum ait, Si Mosæ fidem  
 haberetis, & mihi haberetis: vt potē  
 cum

tum is de me scripsiterit. Sed quia  
 Mosæ scriptis non creditis, nec mi-  
 hi credere potestis. Itemq; idem Do-  
 minus in Apocalypsi, huiusmodi Apoc. 2.  
 Iudæos, non iam Iudæos, sed Sata-  
 næ Synagogam esse pronunciauit.  
 Porro cum Mosem prætexant legis-  
 latorem, sit ut quicunq; alium quam  
**CHRISTVM** habeant, cuius le-  
 ge salute in velint adipisci, siue is sit  
 Moses, siue Maumetes, siue Papa,  
 siue Benedictus, siue Frãciscus, siue  
 quis aliis, eum dicantur habere &  
 magistrum, & maritum. Et qui tales  
 sunt, omnes sunt serui, & quotquot  
 ab eis generantur, hoc est, instituun-  
 tur. Quod si serui, è domo igitur Ioan. 8.  
 Dei, exigentur: quoniam seruus nō  
 manet perpetuò domi: filius autem  
 manet. At **CHRISTVS** & spon-  
 sa eius superior Hierosolyma, libe-  
 ros gignit, eosq; lege solutos: quæ  
 admodum **CHRISTVS** Iu-  
 dæis dicebat: Si vos filius liberos fe-  
Q. cerit,

2. Car. 3. cerit, verè liberí eritis. Item Paulus  
 ubi spirit⁹ Domini, inquit, ibi liber-  
 tas. Itaq; huiusmodi sunt hæredes,  
 non legis cuiuspiam obseruatione,  
 sed tantum quia filij, & liberæ ma-  
 tris familiæ filij, quæ sancta ecclesia  
 est, non ancillæ Synagogæ, quæ le-  
 gis scrutute ac metu tenetur. Ne-  
 mo enim filius idcirco se hæredem  
 fore existimat, quòd Patri seruat,  
 quòd eius obeat mandata, sed siue  
 naturæ, siue adoptionis iure, hoc est  
 ex eo, quòd ex iusto legitimoq; con-  
 iugio natus est, aut per adoptionē,  
 in familiam accitus. COEL. Hæc  
 quidē ita clara, itaq; perspicua sunt,  
 vt qui ea non vident, in meridie, (vt  
 dicitur) nihil cernere videātur. Sed  
 habes ne alia ex novo fœdere testi-  
 moniaſ MAIN. Habeo. Ecce  
 Rom. 5. tibi Paulus, qui comparans calam-  
 tam per Adamum illatam, cum  
 CHRISTI beneficio, hoc est dam-  
 natos per Adamum, cū iustificatis  
 &

& conseruatis per CHRISTVM  
sic ait: At non eadem beneficij, quæ  
delictiratio est Si enim vnius deli-  
cto, multi mortui sunt, multo magis  
Dei beneficium atq; donum, vnius  
IESV CHRISTI beneficio, in  
plures redundauit: est enim horum  
verborum sensus, Donum vnius ho-  
minis IESV CHRISTI, in multo  
magis plures, aut, vt latinæ loquar,  
in multo plures, redundare, quam  
Adami detrimentum, & damnum.  
Hic vides Apostolum perspicue dí-  
cere, plures esse, q; beneficio CHRI-  
STI seruentur, quam qui peccato  
condēnentur, ac perdātur. COEL.  
Video, atq; ita planè sentio. Sed  
quomodo ibidem illa verba intelli-  
guntur? Ergo quemadmodū vnius  
delicto factum est, vt omnes homi-  
nes damnarentur: Sic etiam vnius  
iustitia fit, vt omnes homines absolu-  
uantur & viuant. Hic enim videtur  
dicere, omnes homines condemnari.

Q ij ri,

ri, rursum omnes homines absoluuntur: quae quidem inter se videntur repugnare. Nam si omnes damnantur, nullos conseruari necesse est: & contra, si omnes absoluuntur, vitaq[ue] dominatur, ubi illi erunt non modo pauci, sed omnes cond[em]nati? MAIN. Nodum profecto non contemendum nexisti, quem tamen Deo iuante dissoluemus. Scio esse qui dicant, omnes condemnari, id est, cum Adami peccato nasci, cui condemnatio debeat: omnes absoluuntur, q[uia] CHRISTVS pro omnibus mortuus sit, eiusq[ue] mortem efficacem esse ad omnium expianda peccata, si quidem omnes vellent accipere. Verum horum sententia idcirco nutat, quod reuera omnes cum peccato nascentur: at non reuera omnes absoluuntur, & iustificantur: in quo vide retur plus potuisse Adamus in perdendo, quam CHRISTVS in conseruando: cum tamen par deberet siqui-

(siquidē verba tantum spectes) esse  
in vtroq; ratio. Tibi enim illa axio  
mata ignota non sunt: paria paribus  
itemq; contrarijs omnibus, contra-  
ria conuenire. Illud verò mihi vide-  
tur planius, si quæ deesse videntur  
verba, quod Rhetores docent, com-  
modè suggeramus: Ut omnes vni-  
us delicto cōdemnari dicamus, qui  
condemnantur: atq; eadem ratione  
omnes vnius beneficio seruari, qui  
seruantur. Verum condemnari om-  
nes reuera qui à primo tantum Ada-  
mo genus ducunt: qui verò per secū-  
dum, qui CHRISTVS est gene-  
rantur cōseruari, sed pauciores illos,  
hosce autem plures esse dicendum  
est: ut plus possit iustitia & benefici-  
um CHRISTI in conseruando, q; Adami delictum in condemnādo.  
quod quidem & vult Paulus, & de  
CHRISTO sentire pium & æquum  
est, atq; eius officio, diuinæq; virtuti  
conueniens. Quod autem ibidem

Q iiij sequi

246 C.S.C. DE AMPLIT. REGNI  
sequitur, vnius contumacia fontes  
effectos esse multos, iam alibi ostendimus,  
multos, pro omnibus, Apostolum usurpasse. COEL. Me-  
mini, & tuam tum in hoc, tū in alijs  
interpretationem accipio. Tu ve-  
rò perge, nam te iam portum specta-  
re video. MAIN. Ad huiuscēdē  
uini regni amplitudinē etiam illa

Psal. 2. pertinent, quibus apud Dauidem  
Pater CHRISTV M filium affa-  
tur: Postula, inquit, à me, & tibi gē-  
tes in hæreditatem, orbis fines in

Psal. 72. possessionem dabo. Item, & impe-  
rabit ab altero mari ad alterum: à flu-  
mine ad extrellum terræ. Item, eū  
colet omnes Reges, omnes ei gen-  
tes seruent. Quæ quidem histori-  
cè ad terrenum Solomonem, mysti-  
cè verò ad cœlestē, æternumq; spec-  
tare sacrī imbuti cognoscunt. Item,  
illa, ab ortu ad occasum, omnes co-  
lent nomen meum. Item, perfun-  
dam meo spiritu omne genus homi-  
num

Ioel. 2.

